OBSERVATIONES DE EPIDEMICA CONSTITUTIONE

ANNI MDCCLXXXIX.

IN

CIVICO NOSOCOMIO VIENNENSI.

ACCEDIT

TENTAMEN DE MORBO PELLAGRA.

AUCTORE

ALOYSIO CARENO

PHILOS. ET MED. DOCT.

VINDOBONÆ

TYPIS ET IMPENSIS A. A. PATZOWSKY.

M DCC XCIV.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ALPHONSO CASTILLIONEO

GARLASCHI. ET. MARANI

COMITI

PATRICIO ET DECURIONI

MEDIOLANENSI

A. CUBICULIS. AUG.

&c. &c.

ALOYSIUS CARENO

S. P. D.

Cum duobus nunc annis, Vir Illustrissime, Legati pro Insubria Austriaca apud Cæsarem munere splendidissi-

mo fungebaris, ut ego quoque publicum aliquando observantiæ meæ erga Te monumentum Tibi possim consecrare unice semper in votis habui.

Lætus itaque ea, quæ nunc se mihi obtulit, obſer-

vationes meas iterum edendi occasione utor, hocque Opusculum Tibi, omni qua par eſt pietate offerre auſus sum.

Non mihi de nobilissima Tua Prosapia, non de singulari animi suavitate, et

candore, quibus omnium animos Tibi devincis prolixior nunc sermo sit; sed Tua tantum singularis in Scientiam Physicam et Historiam Naturalem propensio, præclaraque Fratris Tui *)

*) Viaggio negli Stati Uniti dell' America settentrionale fatto negli anni 1785—86—87.

in has ipsas artes merita, me, ut hos qualescumque

---

da Luigi Castiglioni Patrizio Milanese Caval. dell' ordine di S. Stefano P. M. Membro dèlla Società Filosofica di Filadelfia, e della Patriotica di Milano. Con alcune osservazioni sui vegetabili più utili di quel Paese in 2 Vol. 8. Milano 1790. Hoc opus extat germanico idiomate: Castiglioni Reise in die vereinigten Staaten des mitternächtlichen Amerikas, in den J. 1785—86—87 a. d. Ital. mit Anmerk. mit Kupf. Memmingen 8.

conatus Illustrissimo Nomini Tuo devoveam, compellunt.

Præfatio.

Distractis, quas anno 1790 typis excudi curaveram, Observationum in Nosocomio Civico Vindobonensi a me consignatarum exemplaribus, ad novam editionem eo lubentius me accingo, quod tenue hoc Opusculum medicis eruditis non omnino displicuisse cognoverim. Ut autem meam erga doctos homines gratitudinem quodam modo patefaciam, trigam Observationum adjunxi de morbo Pellagra, quam tribus vicibus Vindobonae observare

mihi licuit, eam potissimum ob rationem, ut confidam alios quoque in Austria Medicos hisce meis observatis attentiores factos, hunc ipsissimum morbum in patria sua forte saepius detecturos et indolem medendique Pellagrae methodum solertius rimaturos esse, quae certe res, si ulla alia, mihi in posterum quoque maximum erit ad novas in arte Medica disquisitiones elaborandas, incitamentum.

BREVIS
DESCRIPTIO
CATARRHI ET FEBRIUM
BILIOSO - PUTRIDARUM.

Ferventiſſimam anni 1788. proxime elapsi æſtivam tempeſtatem, eamque graviorem, prohibitis centum fere diebus de cœlo pluviis, nemo forte mortalium ignorabit. Ephemeridum enim undequaque collectarum teſtimonio, cæteræ provinciæ, etiam ſeptentrionales, insolitis caloribus fatigabantur. Eodem ubique ſudore manabant corpora, quo in

ſummo febris æſtu opus fuiſſet; debilitate artuum inde ſequente, nulloque ad eam moleſtiam temperandam non inani conatu.

Tam ardentem æſtatem ſatis ventosus autumnus excepit, & ex ventorum increbrescentia tam præcox hyems invecta, ut die Novembris vix decima ſeptima Reaumurianum Thermometrum ad vigesimum frigoris gradum descenderit. Aſpirantibus uno poſt mense Favoniis, intermiſſa frigora Vindobonenses in ſpem mitioris exitus erexerant; verum hæc ipsa tam repentina conversio temperiei funeſta extitit causa mortalitatis, quum catarrhum infenſiſſimum induxerit, tot tantisque ſtipatum ſymptomatibus, ut nullo ætatis, ſexusve discrimine, dimidium vulgi morbo hoc laborantis ſuſtulerit.

Mihi autem in hisce Nosocomiis medicinam per hæc ipsa tempora facienti, ea fuit potiſſima occaſio diligenter inquirendi, quæ fierent, & qua ratione fierent diligentius perpendendi, ut quondam communis utilitatis gratia in publicam notitiam proferentur. Dicam vero tot tantosque præſtantes Medicos & Chirurgos, qui infirmis aderant, eodem fato brevi functos, omnium animos dejicere debuiſſe, non dejeciſſe tamen meum. Licet autem ſociorum frequens interitus cæteros omnes de incolumitate propria, magis ſollicitos faceret, quam de aliena; non adeo concidi ego, ut proſpicerem magis, non quam diutius viverem, ſed quam utilia, & quam accurate ſcripturus eſſem. Habes igitur hic a me Lector tum id, quod a te poſſit expeti honeſtius, tum quod a me poterat liberalius exhiberi, eruditionis ſcilicet tuæ commodum, vitæ meæ periculo comparatum. Ju-

re proinde ac merito a te veniam exſpectabo, ut tanti ratione diſcriminis, me prima vix egreſſum facultatis limina, & exoleto jam idiomate conscribentem ea, ſuscipias humanitate, ut non pœniteat ſaltem, totum huic lucubratiunculæ me devoviſſe.

Morbi tam late sese diffundentis indicia prima hæc extiterunt. Modicus ægrotanti vel dolor, vel pondus capitis incedebat, fere immodicus uno poſt die; mox laſſitudo corporis, asperitas faucium, vocis raucedo, anorexia vel cum febri, vel citra febrim, & ſicca præsertim tuſſis, qnam febris ipsa quandoque comitabatur, non magnæ vis, & ſimul nullius conſtantiæ; quod typum vel caracterem eundem non proderet. Siccam dico in hoc morbi ſtatu fuiſſe tuſſim, quam tantum mucus ab aspera arteria ejusque bronchiis abrasus, ſero acri permixtus emergeret cum

modico ſputo. Urinæ ſub initio albæ, in augmento rubricantes aut furfuraceæ exinde ſecedebant. Vehemens cephalalgia, ſomnus ingruente ſæpe tuſſi de repente interceptus, & præſens ſitis fere quemlibet ex decumbentibus plus minus discruciabat. Et hæc quidem ſymptomata in quartam vel quintam diem ducebantur, donec methodo conveniente morbus feliciter ſolveretur. Siqui tamen hæc primordia, tamquam minimi momenti flocci fecerant, in diuturnius & quandoque etiam gravius discrimen adducebantur; quum ex indicatis ſymptomatibus adeo ſævirent febres, ut plurimum negotii faceſſerent Medicis, morbo in deterius, ut infra videre eſt, proruente.

Qui ex ægrotantibus ſolertiores lecto ſe protinus commiſerant, & bene calens decoctum pectorale largiter hauserant, resoluto per facilem

ſudationem morbo, tertia die, vel ad ſummum quarta, incolumes evadebant: ſi qui vero vel corporis hebetudine, vel indolis ignavia curam neglexerant, ii non tantum ſicca tuſſi in plurimam præcipue noctem, & gravitate capitis, flagitioſius laborabant: ſed & doloribus per omnes artus, medium ſternum ipsum concuſſione tuſſis disrumpentibus, angebantur. Nonnullis acre ſerum e capite ſtillantibus Schneiderianæ *) membranæ irritatione, ſternutatio infeſta, & vox rauca prodibat, palati & narium finitimis pene obseſſis. Hæc tamen omnia craſſis in quartam usque diem ſputis; in quintam vero coctis, & facile prodeuntibus, ſudoris, urinarum,

*) Hæc membrana communiter *Schneideriana* appellata, jure meritoque *Falloppiana* nominari deberet; utpote quæ ab iſto Auctore ante *Schneiderum* non ſolum detecta, ſed descripta fuerit. Legantur Falloppi opera pag. 546.

& alvi levamine, ut ipse comperi, evanescebant. At grandævioribus infeſtior fuit hæc morbi ratio, iis præſertim, qui ſalutis incuria in phthiſin (quod hic heu nimis obvium eſt!) prolabebantur; nam non multis exinde diebus fato extremo fungi reliquum erat.

Hæc autem cura inerat, ut a primordiis emollientium largi latices propinarentur ægris, in lectulo, vel in cubiculo ſaltem ſiſtentibus, quo facilius, & lenius exſudarent. Hac mente Noſocomium adeuntes hac ipſa methodo ibi degentes, incolumes inde intra hebdomadæ fere dimidium revertebantur. Qui Noſocomiorum faſtidio, vel domeſticæ curæ prælubitu, lares intra ſuos detinebantur, morbum facilius excutiebant, citrini ſucci accredine bene calentem Caffei potionem adtemperantes. Vèna plethoricis pertundebatur, horumque

ſanguis vix a naturali declinabat ſtatu; alvus quotidie ſollicitabatur, atque ſic clyſteris ope, aut leniorum evacuantium ſubſidiis, favebamus ſaluberrimæ revulſioni. Pediluvia etiam plurimum favere deprehensum eſt, nocturnæ præſertim tuſſi obnoxiis, atque eo felicius ac promptius huic moleſtiæ occurrebatur. Hisce adhibitis morbus ſecundis abſcedebat velis, et præter auſpicatiſſimum decoctum altheæ, cum ejusdem ſyrupo, vel oxymelle, aut alia ex pectoralibus iis ſpeciebus (*) (quas Germani vocant *Bruſthee*) eclegmata ex eodem ſyrupo, oleove amigdalino parata, optimos præſtitere effectus. Hoc igitur moris invaluit, donec evaneſceret ipſa cum febri morbus, laxa-

(*) Germanorum *Bruſthee* idem eſt ac decoctum pectorale, quod in Dispensatorio Pharmaceutico Auſtriaco anni 1765 invenitur, cujus compoſitio ſequens eſt:

ta identidem alvo ad opportunius naturæ præscriptum.

Segnioribus ad curam, curæ diuturnitas (ut dixi ſuperius) respondebat, atque ii etiam antiphlogiſtica methodo ſuscipiebantur. Venam ſecari bis terve opus erat, et ſi quid phlogiſticum ſanguis portenderet, emollientium usu, quibus parum nitri accederet, valetudo priſtina revocabatur. Nonnulli extiterunt recidivi, peſſimo ſeniusculorum fato, uti quater experiri contigit. Fæminæ duæ ex iis, quæ curæ ſegnitie phthiſin adau-

---

Rec. *Jujubar. rec. enucl. lib. VII.*
Dactylorum rec. enucl. lib. IV.
Caricar. pinguium
Paſſular. minorum
Hordei mundat. ana lib. III.
Liquirit. minut. conciſ. lib. unam ſemis.
H*erbæ capillorum veneris unc. novem*
inciſa probe miſceantur.

xerant, intra bimeſtrem periere. Uno tandem poſt mense diffugerunt una morbus et metus.

DESCRIPTIO

FEBRIUM BILIOSO-PUTRIDARUM.

Anno ipso vertente morbus alius, priori gravior ingreſſus eſt, febris nempe *bilioso-putrida*, aut ut alii volunt *gaſtrico-putrida*. Hæc ab initio tecto incedebat pede, modo febris rheumaticæ, modo inflammatoriæ larvam gerens, quæ licet intermittentem interdum naturam ſimularet, raro tamen verum prodebat caracterem. Maxima ægrorum pars Nosocomium ingrediens, de capitis gravitate conquerebatur, quibus confeſtim dolor ad pectoris, vel ad lumbi latera modo fixus, modo vagus adfigebatur, febris insequebatur, ut plurimum absque horrore, morbum quin immo aliquanto antecedens, quæ in-

frequentius pro tertiana vel quartana jure dignosceretur. Alii cum tuſſi, capitis temulentia, ſpiritus difficultate, doloribus articularibus, et duro pulsu accedebant, iisque una, vel altera venæsectio inſtituebatur: at poſt hanc insurgebant biliosa ſymptomata, oris nempe amarities, et ventriculi gravitates. Qui vero domi per plures dies ægrotaverant, ad putridam jam deflexi, ad nos deportabantur, propriam morbi hiſtoriam nullatenus referentes. Rariſſime ab initio morbi ſymptomata gaſtrica fatebantur, quo tamen casu, negligentiam vel despectum medicinæ poſt tres aut quatuor dies luebant, delirantes, ſubsultibus detenti, in ſummumque discrimen adducti, nullum, vel fere nullum tunc ab arte præſidium obtinentes. Qui paucis diebus amiserant valetudinem, neque graviter decumbebant, faſſi ſunt nobis, ſe ab initio levi capitis dolore lateraliter, aut ad articu-

lationes fuiſſe correptos, quem a catarrho perpeſſo pendere opinabantur, præsertim cum citra id unum nil aliud haberent, de quo jure conquererentur. Aliis caput tam temulentum, et dolorificum erat, ut ex minimo motu ejulatus emitterentur. Medicis interrogantibus vix absque maximo incommodo respondebatur; respiratio item parum a naturali abludebat, tuſſis eadem, licet infrequens aderat, non ſine lumborum pariter, cæterorumque artuum, quin imo et in nonnullis genuum cruciatu, qui diſtenſionem et pene motum nullum permitteret; modica appetitus jactura, lingua naturalis, nulla aderat ventriculi oppressio, nulla ad vomendum proclivitas, febris aut deerat, aut non adeo ſæviebat; pulsus utplurimum ſubdurus, venter mollis, alvus aliis obſtipata, aliis e contra nimium resoluta, placida plerumque omnibus quies, hypocondria ſana.

Quum pro capitis dolore vel laterum ad pulsus indicium vena ſecabatur, nonnihil phlogiſtici præbebat ſanguis; aſt hæc nonnisi cum ægroti detrimento inſtituebatur; vires exinde ſtatim inſigniter labefactatæ, et bilioſa, ut mox ſuperius dixi, ſe præbebant ſymptomata; ex quibus aperte ſatis Medici commonebantur, veram tunc patefieri morbi naturam; nam lingua illico ſordida fiebat, materia nempe ſubflavescente ad latera obtegebatur, amarescebat os, comite quamprimum nauſea, oppreſsio ad ſcrobiculi regionem oriebatur, vomituritio quoque non raro jungebatur; calor cutis exurens, pulsus in primis validus, ac ſubdurus, nunc remiſſus, ac mollis; febris antea levis, nunc intensa, et ut plurimum continentis, aut remittentis typum ſervans; atque in hoc ultimo ſtatu exacerbatio ad vesperas ſuccedebat. Ubi ægri profundam inspirare animam

juberentur, in eadem regione dolores, et quidem multum excruciantes, ac ſi gaſtritide tenerentur, nonnulli incusabant; iique viribus adeo deſtituebantur, ut ſtantes vix aliquibus momentis conſiſterent. Hæc in ſextum, et usque decimum diem provehebantur, donec aut morbus remitteret, aut ageret in pejus, ex quo ulteriora notatu digniſſima dignoscere erat.

Diebus ſubsequentibus, versus ſeptimam nempe, nonam, vel decimam, tendinum ſubſultus deprehendebantur; pulſus infirmior, vires magis decuſſæ, delirium aut ſopor etiam, in ſcænam prodiere: in quibusdam petechiæ nunc citius, ſecunda, aut tertia die, nunc ſerius, moda circa unicum pectus, modo per totum corpus diffundebantur; meteorismus ad finem morbi conſpiciebatur, qui, licet alvus diarrhæica in nonnullis eſſet, per tres circiter dies ſubſiſtebat, donec de

malo judicium haberetur; urina ſub hisce ſymptomatibus jumentosa fiebat, et eneorema ab initio morbi, aut divulsum erat, aut ſuſpensum, aut nullum; in aliis vero ſedimentum furfuraceum ſubfusci coloris adfundebatur; rariſſime tamen ſpaſtica, cruda, et quasi lactea occurrebat. Plures hæmorrhagia narium laborabant, morbi nec levamine, nec certo judicio, ut mihi obſervare licuit duabus in fæminis, ex quarum uni tantum reconvalescere datum eſt. Ambarum quidem ſanguis loturæ carnis adinſtar ſolutus apparebat; alvi purgatio inscia, ſubsultus tendinum fortes et ſæpe ſæpius recurrentes, mentis continua alienatio, lingua nigricans, oculi lachrymantes ac limoſi, fœtor ex corpore inſignis, arcta reſpiratio, venter tympaniticus, quæ omnia putridum omnino caracterem, et morbi periculum ſatis ſuperque adſerebant.

Talis erat partim morbi decurſus iis, qui ex cauſa manifeſta, materiali nempe, aut errore in ſex rebus non naturalibus ægrotabant; partim vero alius erat illis, licet oppido rari occurrerent, qui ex contagio decubuerant: in iſtis enim morbus adeo tardior incedebat, ut ab initio de quadam corporis gravitate, de tenui anorexia vix eſſet ſermo, quæ ſub lene purgante ex integro dirimebatur, vel etiam ſponte diffugiebat, ſicque per dies nonnullos infirmi in priſtinam reſtituti valetudinem videbantur, donec inopinato languore deficientes, aut ex febri, quæ ut plurimum ſub initio horripilationem inducebat, lectum repetere cogerentur; hincque biliosa mox inſurgerent ſymptomata, lingua impura, os pituitoſum, amarum, oppreſſio ſtomachi, pulſus, atque vires ipſæ debiliores. Petechiæ hinc inde etiam erumpebant, et ſubinde ſpatio quinque, aut ſex die-

rum-

rum omnia, niſi ſuppetias ferret ars, ruebant in pejus, et exitium extremum minitabantur. Hoc erat autem diſcriminis, quod quibus ex contagio degendum erat, tali ſpecie ſe morbus oſtenderet, ut infirmarii, medici, aut alii mox ab initio veram futuri mali indolem deprehendere poſſent. Non ab hac ærumna phthiſici eximebantur, non prægnantes, non qui vulneribus, aut incommodis aliis vexabantur, ex quibus omnibus primi vix evadebant; hæc conſtitutio in tertium usque mensem dilata, quo temporis ſpatio ex 135 ægris, ſeptuaginta eodem modo, diverso licet gradu affectos obſervavimus, qua epidemia graſſante jacturam fatalem paſſa eſt medicina, tribus deperditis medicis *) et chirurgis duobus, iis-

(*) Inter Medicos, et Chirurgos, qui ſupremum obierunt diem tempore hujus conſtitutionis, Dtres. de *Vigiliis*, *Meſola*, *Ungerhofer*, inter

que non inſimæ notæ. Circa medium tandem martium remiſit hæc febris aliquantulum, qua benigniori facta, ſimplices tantum etiam gaſtricæ pedem intulere. Hoc autem ilico occurrit notatu dignum, quod ab exordio menſis decembris ad exitum usque maii, licet non raro diverſæ naturæ apparuerint morbi, vix ullas pleuritides veras, peripneumonias, aut ſimiles inflammatorias affectiones obſervare contigerit, quod generatim, ut ex alienis dictis comperi, cæteris annis elapſis frequens, ac commune erat. Eo juvenes, & mediæ ætatis ex vulgo homines, plerumque afficiebantur præ infantibus, ac ſenioribus; non tamen eſt reticendum, quod apud celeb. hujus Noſocomii Medicum Primarium *Straskhy* *) ſe-

Chirurgos *Thomas*, et *Einpack* recenſendi veniunt.

*) Iſte qnoque præſtantiſſimus vir e vivis ereptus fuit, menſe Octobris anno ætatis ſuæ quadrageſimo tertio.

ptuagenaria fœmina, gravi morbo correpta, præter meam omniumque expectat ionem reconvaluerit.

Cauſæ variæ, & in nonnullis omnino inter ſe discrepantes adnumerantur. Placuit quibusdam ex diætæ errore morbi cauſam repetere; aliis ex transpiratione ſuppreſſa; aliique aliter ſentiebant. Grande tamen mihi dubium ſubeſt, an ab ipſa re, vel multo longius expiscanda ea ſit; et num forſan, ut jam ab initio commemoravi, immodici præteritæ æſtatis calores huic Epidemicæ conſtitutioni debuerint plurimum contuliſſe. Quid tanti æſtus in humano corpore effecerint, non ignoramus. Viſcera debilitata hac ratione non absque inertia ſuis fungi poſſe muniis liquet, inter quæ ſegnior recenſenda eſt ventriculi actio, quæ, utpote non adeo bene conſtituta, cruditatibusque favens gaſtricis, ſeu bilioſis affectionibus adi-

tum præbeat neceſſe eſt. Huc quoque in primis pertinere videntur victus pravus animalis, ex alcaleſcentibus, et indigeſtibilibus, quo præcipue pauperiores hic ſe nimium ingurgitare moris habent: huc auſtralium frequentia ventorum; huc ſubitanea atmoſpheræ immutatio, quæ climatis hujus eſt quaſi quædam natura; huc hybernum illud frigus ultra morem toleratum; huc anguſtiæ cubiculorum, in quibus annonæ charitas ſollicitum de victu non minus, ac de frigore populum, ad ſua opera tota hyeme concluſerat; ubi humidum, calidum, neque renovatum aërem inſpirare erat: huc ſaburralis materia ab initio non debite evacuata, contagium &c. inter primarias hujus morbi cauſas recenſenda veniunt.

Prognoſis. Periodus morbi irregularis, modo longa, modo brevis erat; in genere venæſectio, aut mor-

bum trahebat, aut fatalem parabat exitum. Morbus jam pridem neglectus vix medicinam admittebat; at ab initio bene pertractatus, & brevioris decurſus, & minoris erat periculi; quo longius inflammatoria ſymptomata provehebantur, eo discrimen augebatur; obque id unice venæſectionibus avara manu peractis vix aliquantulum proficiebatur. Qui catarrhum ſemel, aut bis paſſi erant, periculosius decumbebant: si quando phthiſicos febris hæc conſtitutionalis tenuit, fatalis utplurimum extabat. Quum ſexta, ſeptima die quid eneorematis divulſi in lotio ſederet, et cutis non eſſet adeo ſicca, verſus nonam, decimam quartam, aut vigeſimam, per urinam, et ſudorem de morbo felicius pronunciabatur. Qui ex ægrotis a tuſſi interdum corripiebantur, eaque verſus ſextam tantummodo, vel ſeptimam, aut octavam diem acerbius exſtimulabantur, ii fere om-

nes per ſubſequentia ſputa primo craſſa, immo tenaciſſima, dein vero mucoſa, cæteris comitantibus excretionibus, convaleſcebant. Qui delirantes cum pulſu intermittenti, et inæquali, ventre tumido, a medicis, aut ab aliis detegebantur, ſi iterum ſuper ſe ſtragula inducerent, bonam de ſe ſpem utplurimum portendebant, ex quibus reipſa nonnullos feliciſſime reſtitutos obſervare fas fuit. Qui viſcidis ſudoribus verſus quintam, ſextam diem, aut ſerius absque delirii levamine manabant, malum omen ilico minitabantur. Puncticularis eruptio ipſa, ſi quæ ſuperveniebat, morbum neque levabat, neque dabat in præceps. Si reconvaleſcentes ob diætæ ignoſcendam impatientiam recidivi fierent, ſummo in discrimine retrudebantur, quum ex tribus perirent plerumque duo. Sive per contagium, ſive per notam aliam, aut ignotam cauſam morbus contraheretur, vix

ulla in prognoſi nobis patuit discrepantia. Per alvum in aliquibus criſim factam eſſe, frequenter etiam animadvertimus.

Hic de univerſa cura modo agere deberemus; verum prius nonnullas obſervationes in medium afferre optimum cenſeo, ut ſic Epidemicæ conſtitutionis decurſus maturius perpendatur, et ſymptomata illam concomitantia percurrendo, faciliori disquiſitioni ſubjiciantur; quod absque fructu futurum fore non reor. In primis ergo de quodam ex caminis fuligine detergendis quæſtum faciente loquemur, utpote qui in maximo vitæ periculo fuerit præ cæteris conſtitutus.

OBSERVATIO I.

Triginta ille circiter annorum, gladiatoria corporis firmitate donatus, alias integra valetudine pollens, ſexta morbi ſui die in noſocomium recipitur. Caput dolet, rubet facies præter naturam, micant oculi, reſpiratio aliquatenus difficilis eſt: dolorem a tribus diebus ſiniſtro infixum lateri incuſat; decubitus lateri eidem impoſſibilis, pulſus frequens, æquidiſtans, ſubdurus; nitidam ille profert linguam, eamque ſiccam, in qua nulla ipſi amarities; abdomen molle, alvus ab aliquot diebus moroſa. Interrogatur, quo modo inceperit morbus, confuſe reſpondet; et cum nullam cauſam nobis aſſignaret, ut præſentibus indicationibus faceret ſatis,

perilluſtris Dr. *de Vigiliis* (quem memorari sine ſummo animi ſensu, et mœrore vix poſſum, cum et ipſe hac eadem Epidemica conſtitutione correptus flòrentiſſimam juventam acerba morte, commutaverit) profeſſor ille, inquam, præſtantiſſimus, venam aperire juſſit ægroto. Verum cum dubia sibi morbi diagnoſis videretur, huic ſe præſentem eſſe voluit, et revera, cum jam tertia ſanguinis uncia educeretur, pulſusque debilior, et minor evaderet, ſanguinem ſiſti optime conſuluit, atque inde ſequentia exhibuit.

Rec. *Decoct. emoll. lib. j.* *)
Arcan. duplicat. dr. iij

---

*) Cum adhuc non proſtet Pharmacopöa noſocomii univerſalis, hinc abs re non erit formulas referre.

Decoctum emolliens conſtat ex
Radicis altheæ
Herbæ malv. ana unc. ſemis
m. concis. coq. in aq. font.
per quadrant. hor. colat lib. j. exhibeatur.

Oxymell. ſimpl. unc. ſemis.
det. omn. bih. vaſc. Caſſæan.
Rec. *Decoct. ordinar. p. p.* (*)
Injiciatur clysma.
Ad locum affectum applicetur cataplasma emolliens.
Diæta I.

Veſperi. De virium proſtratione conqueritur infirmus; lingua incipit illi impureſcere, perſtat dolor lateralis idem; gravedine quadam fatigatur ad ventriculum, ac ſi pondus aliquod inſederet, reſpiratio eadem manet; tuſſis inſurgit ſicca, multa cum ſiti. Sanguis matutino tempore eductus non nihil phlogiſtici habet: nihil tamen immutatur in præſcriptis.

*) Rec. *Hord. crud. unc. III.*
Radic. gramin. unc. I.
coq. in aq. font. lib. VIII.
uſq. ad crepatur. hord., dein
colatur. lib. IV. detur uſui.

Die *VII.* noctem inquietam tranſegit æger; prædicta ſymptomata exacerbantur; depreſſio virium inſignis, mentis aliqua item obnubilatio; eadem præcipiuntur, quæ heſterna die; facies, oculique magis magisque ſuffunduntur; lingua in vertice ſordida ſubflaveſcentem mucum hinc inde exhibet, reſpiratio inſigniter læditur; evaneſcit ex integro dolor, pulſus debilis, frequens; nullum frigus corripit membra; ventriculi oppreſſio eadem, caput temulentum, abdomen molle, urina cruda; hypocondria in ſtatu naturali; alvus quater ſoluta, ſcybaloſas fæces olidiſſimas emittit, hinc

Rec. *Mixt. ſalin. fortior. doſ. j.* *)
dent. omn. bihor. cochl. ij

---

*) Rec. *Arcan. dupl. drach. VI.*
Oxymell. ſimpl. unc. ſemis
Aq. font. unc. vj. m. d.

Rec. *Pulv. Camphor. ſimpl. n^{ro}.*
vj. *)
det. omn. bih. j.
Veſicans ad nucham
Decoctum ordinar. cum oxymell. p. p.

Veſperi. Exacerbatio vix ulla detegitur; cætera uti mane

VIII. Nox ſat bona, nam per aliquot horas quies admiſſa; vix evigilanti ſitis incedit; leve delirium obſervatur; quæſtionibus non omnino recte ſatisfacit ; decubitus ſupinus: reſpiratio eadem, pulſus paulo elevatior ; lingua fere lignea, nauſeam, et vomituritiones incitat; petechiæ hinc inde ſupra pectus con-

---

*) Rec. *Camphor. gumm. arab. ſubact. gr. ſemis.*
Sacchar. alb. drach. ſemis
miſce f. pulvis.

ſpiciuntur: tendinum convulſiones, in manibus præſertim obſervantur; tuſſitat ille per diem, ſed absque ulla excretione; interrogatus quommodo ſe habeat, non reſpondet, ſed ſtatim manus ad pectus movet; alvus multoties evacuata biliosa, et figurata apparet, urina ſatis parca, et adhuc cruda; cutis calor ingens, et caput grave

Repetita omnia

Veſperi. Poſt matutinam viſitationem ter evomuit, et quidem materiem virideſcentem, absque ullo tamen levamine; cætera eadem.

IX. Per totam noctem deliria paſſus eſt; facies illi triſtis, et ex rubra modice liveſcit; oculis ſemiclauſis decumbit, ad canthum externum dexteri lippitudo obſervatur; lingua, et dentes nigricante muco obducun-

tur, vires ſummopere proſtratæ, tremores fiunt continui; totum corpus, excepta facie, petechiis notatum eſt, pulſus denuo debilis; ab attactu hypocondrium dexterum dolebat; venter tamen pertractabilis; alvus ſexies mota, cutis calor adhuc mordax, urina fere nulla. Hinc

Rec. *Mixtur. nervin. doſ. j.* *)
Continuet. mixtura ſalin. fortior, et
Pulv. Camphor. ſed duplices **)
alternatim omni hora ſumat

---

*) Rec. *Spirit. Corn. Cerv. ſuccinat.*
Eſſent. caſtor. aa. gutt. XX.
Aq. ruth. unc. I.
m. pro doſ.

**) A ſimplicibus pnlveribus camphoratis duplices diſcrepant tantum ratione ponderis, quod in his eſt grani unius, in illis vero tantum dimidii.

aliquid ex præſcriptis, uti docui
Veſicant. duo ad ſuras
Aqua cum acet. p. p. ord.

Veſperi. Nullam ſymptomatum exacerbationem notavimus; ſoporoſus factus eſt, alvus niſi bis ſollicitata, qua de cauſa injiciatur enema ex infuſ. chamomill. cum arcan. duplicat. unc. ſemis.

X. Eadem illi nox ac heſterna; idem faciei color, et decubitus; oculi quaſi chemoſi affecti videntur, rubentes ſcilicet, lachrymantes, limoſi, fixe objectum reſpicientes, lingua fuliginoſa, nigris, et diſciſſis cruſtis obducta, dentes, ac labia lurida, utpote eadem fæce ſquallentia; reſpiratio arcta, pulſus exiguus, æqualis tamen; vomituritionibus interdum proclivis; multum ſitit, et licet ſibi præſens non ſit, tamen manus, et oculos

ad cyathum epotorium convertit; eadem intenſitate, et frequentia tendines ſubſiliunt; venter modo intumeſcit; ab attactu ſtomachi regionis, et hypocondriorum dolorem non exprimit, urina fæcibus mixta, alvus quinquies reſerata, calor cutis idem.

Repetita omnia.
Fotus antiſeptici *) doſ. j.
pro abdomine
dein cum aqua, et aceto
manus, et brachia laventur.

Ve-

---

*) Rec. *Cortic. peruv. groſſo modo contus. unc. unam ſemis*
coq. in ſ. q. Aq. per dimid. hor.;
colatur. lib. un. et ſemis infund.
Herb. ſcord.
ruth. aa. unc. ſemis.
ſtent in infuſion. fervid. per quadrant. hor., dein add.
Sal. armoniac.
Spirit. Therebint. ana. unc. ſem.
detur uſui.

Veſpere. Abdomen eo magis intumeſcit, tympanique ad inſtar reſonat. Jam ille furibundus e lecto proſilire nititur; ideoque ligare eum coguntur infirmarii. Cætera eadem; pulſus celerior, et hinc inde inæqualis percipitur, alvus bis laxata; hinc ſequens clysma præſcriptum fuit.

Rec. *Flor. Chamomill. unc. ſemis*
infund. s. q. Aq. colaturæ
unc. VIII. add.
Camphor. pineis ſubact. gr. IV.
detur uſui.

XI. Continuo muſſitando, floccosque carpendo noctem transegit infirmus noſter, et reſpiratione ſtertoroſa, atque ſopore demerſus eſt. Oculi ſubinde cum facie liveſcunt, ab evigilante nulla petitioni reſponſio venit; pulſus eſt inæqualis, cutis ſicciſſima; meteorismus augetur; percuſſi abdominis nulla ſenſatio; ſubſultus iidem;

nonnullæ petechiæ lividæ apparent; tuſſitat identidem, et quidem fortiter; ſtrepitus quoque auditur in gutture, excreatus aliquis apparet, ſed ori inhæret ob nimiam tenacitatem, lingua non adeo, uti ante, ſicca; urina paulisper turbida, jumentoſa; alvus pluries, ſed inſcie mota; medicinas non reſpuit.

Rec. *Decoct. Cortic. peruv. lib. j.* *)
Extract. ejusd. unc. ſemis
Syrup. menth. unc. j.
ſumat omn. bihor. vaſcul. Caſſœan.

Rec. *Mixtur. ſalin. doſ. j.* **)
Spirit. minderer. drach. iij

---

*) Rec. *Cort. peruv. rudit. contuſ. unc. I. coq. per hor. in Aq. font. q. ſ. colatur. lib. I. det.*

**) Hæc a fortiori ratione ſalis differt; in illa nempe arcani drach. *VI.*, in hac tantum *IV.* inſunt.

Oxymell: ſimpl. unc. j.
ſumat uti ſupra.
Continuet. mixtur. nervin. et pulv. Camphor.
Veſicantia duo ad Brachia.

Veſperi. Exacerbata aliquantulum ſunt ſymptomata, et periculum creſcit.

XII. Nil mutatum obſervatur, excepta reſpiratione, quæ anguſtior, pinnis tantummodo narium peragitur; ex veſicantibus nuchæ et ſurarum ichoroſa fluit materia, et in circumferentia livor detegitur, quibus ſingultus etiam accedit; abdomen ſumme diſtenſum, ab attactu dolorificum, urina nulla, cætera uti heri

Loco fotuum antiſepticorum utatur emollientibus
Cætera ut ſupra

Veſperi. Nil novi.

XIII. Omnia in pejus ruunt, & ad incitas ita redactus eſt, ut omnes de eo conclamatum eſſe convenerint; decubitus enim peſſimus; ſopor profundus, irritatus non expergeſit; ſubſultus fiunt univerſales; inferior maxilla tremit; reſpiratio brevis, & ſonora, ac ſi in aliquo dolio muſtum fermentaret; absque pudore, divaricatis pedibus, in lecto jacet; pulſus exiliſſimus, tremulus, intermittens, inæqualis, ut in gangrænoſis eſſe ſolet; cutis humida; ejus calor ad ſummum mordax, ſudor viſcidiſſimus, cadaveris odorem totum corpus tenet; manuum extremitates, non pedum frigent: ex oculis materia alba fluit, facies colapſa, & vere Hippocratica; alvus inſcia, deglutitio impedita, ſingultus ſæpius occurrit, tuſſis perdurat, ſed rara, neque adeo fortis, ut non potius pectoris convulſio dicenda eſſet; excreatus omnino nullus; abdomen adhuc ſenſibile,

ulcera veſicantium gangrænoſa; hine omnia adimplendi gratia potius, quam ægrum recuperandi

Renovata ſunt veſicantia ad brachia, quæ gangrænoſa non fuere

Continuentur fotus emoll. ad abdomen

Si aliquid ſumet, dentur mixturæ nervinæ aliquot cochlearia una cum ſeq.

Rec. *Radic. Serpentar. Virginian. drach. ij.*
Herb. ſcord. man. j.
infund. ſ. q. Aq. per dimid. hor. colat. unc. XIV. add.
Laudan. liquid. gutt. XXXX.
Syrup. menth. unc. j.
det. cochleatim.

Injiciat. clyſma antiſeptic. uti die X.

Veſperi. Jam in foribus mors adeſſe videtur.

XIV. Præter ſpem tamen adhuc vivit æger, quin imo reſipiſcere incipit; ſymptomata aliquantulum mitigata obſervantur; nox elapſa de more inquieta, facies vero aliquid promittit; minus ſoporoſus jacet; livor in facie evaneſcit, reſpiratio tamen eadem: ſtertor minor áuditur; tuſſis ſæpe cum vehementia recurrit, humida modo, & licet cum aliqua difficultate, & vi, tamen aliquid exſpuit; lingua non adeo ſicca, imo ad latera humeſcere incipit; ſingultit adhuc; pulſus frequens, minus inæqualis, isque elevatior; deliramenta adhuc nonnulla; venter idem, alvus multum laxata, urina turbida; tendinum ſubſultus uti heri; oculi fixi.

Rec. *Cortic. peruv. unc. ij.*
coq. in ſ. q. Aq. per dimid. hor, colatur. unc. XIV. add. Extract. ejusdem drach. iij. Spirit. minderer. unc. ſemis

Syrup. ribeſior. unc. j.
ſumat omn. bihor. cochl. ij.
Continuent. decoct. Serpentar. pulv. Camph., et fot. emoll.

Veſperi. Spes eo magis afful-get, cum ſymptomata imminuantur; ſingultus rarus eſt factus; reſpiratio adhuc difficilis, extremitates calent; in urina enaeorema ſedet, manant ſudamina, alvus eſt libera.

XV. Secundo cursu procedit morbus; nox illi non adeo turbata, vix ſoproſus; loquela redit a quatuor diebus amiſſa; aliqua mentis confuſio ſupereſt, reſpiratio non multum laborioſa, tuſſis frequens cum excreatione faciliori, craſſa, ac pingui; lingua valde humectata; pulſus magis explicatus, frequens, non intermittens, aliquantulum inæqualis. Singultus ex integro fugatus; ſubſultus minores ſurdidate ſubeunte,

quæſtiones tamen ſolvuntur; alvus conſcie ſoluta, urina eadem, ac heſterna; venter decrescit; gangræna ad veſicantia ope unguenti de ſtyrace amplius nulla; ſudor idem, at peculiarem odorem referens

In Decoct. Cortic. continuetur.
Rec. *Pulv. ad Tuſſim demulc.* *)
Decoct. ordinar. p. p.

Veſperi. Omnia ut mane.

XVI. Res, ut erat in votis, procedunt, nox ſat tranquilla, aſpectus bonus, reſpiratio fere naturalis, pulſus fortis, minus frequens, æqualis; tuſſis mitigata; ſputa prodeunt cocta,

*) Rec. *Flor. ſulphur.*
Gumm. arabic.
Sacchar. alb. ana drach. j.
Extract. liquirit. drach. ij.
m. f. pulv. doſ. drachmæ ſemis.

lingua humida, in medio adhuc hiulcans; rariſſime tendinum ſubſultus recurrunt; meteoriſmus nullus, mentis perfecte compos, ſiccas fauces accuſat; urina eadem, cutis mollis, petechiæ dilapſæ, ſurditas uti heri.

Rec. *Spirit. vin. camphor. q. ſat. pro decubitu.*

Rec. *Oximell. ſimpl.*
Syrup. alth. ana. unc. j. pro linctu.

Continuetur decoct. Cortic. peruv. & pulv. ad tuſſim.

Cum aqua, & aceto eluetur os et lavetur corpus.

Veſperi. Omnia ut ſupra.

XVII. Per convenientem ſomnum infirmo vires adauctæ, lingua humida, muco ſnbflavo tanquam bracteata. Tuſſitat uti heri; convulſiones nullæ; reſpiratio omnino naturalis;

pulſus fortis, nonnulla tantum frequentia peccans; urina turbida cum ſedimento furfuraceo; ſurditas, & tinnitus ad aures creſcit; decubitus in ſiniſtro latere non facilis, imo dolorificus; cætera bene.

Repetatur linctus.

Veſpere ut heri.

XVIII. Omnia ſat bene procedunt, tuſſis multo minus ægrum cruciavit, dolorificus lateralis ſenſus evanuit, urina eadem, alvus bis demiſſa, pulſus micans, ut in bene valente; lingua ut heri ſordeſcens; ideoque res in vado eſt conſtituta.

XIX. Nox placida, quietem præſtitit, major tamen debilitas, quam ante triduum; lingua eadem, ſurditas imminuitur, reditque appetitus; hinc fructus concedantur, dein

Rec. *Decoct. Cortic. peruv. lib. j.*
Syrup. alth. unc. j.
ſumat. nyktemeri ſpatio.

Per tres circiter dies hoc decocto æger uſus eſt; ſub quo ſucceſſive linguæ impuritas ſoluta fuit, appetitus rediit, tuſſis diſparuit, & quod erat magis optandum, vires inſtauratæ; hinc poſt reconvaleſcentiam *XV.* dierum (quo tempore vinum oblatum fuit, & poſtremis etiam, ultimisque quatuor diebus bubula caro) ſanus abiit, isque uno poſt menſe mihi obviam factus, vix dignosci poterat, utpote qui inopinato pinguis effectus fuerat.

OBSERVATIO II.

Juvenis annorum 24, idemque in ipſo Noſocomio Chirurgus tertiæ claſſis, jam a longo tempore indelibata fruens valetudine, derepente, & absque nota causa dolore capitis, univerſali per corpus dedolatione, & ad inferiores artus gravitate corripitur, quibus ſecunda die verſus meridiem horripilationes accedunt, per aliquot tantum minuta durantes, & cum calore alternantes: ad noctem ſudor inſequitur, ſub quo, & dolor capitis, & corporis laſſitudo imminuuntur; tertia die cũm apyretus eſſet, in eodem Noſocomio ſuo fungitur officio, atque ad veſperas de more cum appetitu commedit: quarta die capitis dolor, & ſupra relata ſymptomata

eandem ſcenam ludunt; verſùs meridiem absque horrore vehementer incaleſcit: in hac ſtatu lectum petit, examinatusque, præter dicta, ſequentia memorat; anorexiam ſcilicet, pectoris gravitatem, nauſeam, linguam muco ſubflaveſcente obtectam, pulſum fortem ,plenum, abdomen molle, hypocondria ſana; reſpirationem præternaturalem, cutim ſiccam, urinam crudam, aqueam, alvum a duabus diebus pertinacem.

In hisce circumſtantiis nil aliud, quam decoctum hordei pro potu, donec febris paulisper remittat, præſcribitur, itemque clyſma emoliens.

Quinta morbi die en iterum apyretus; ſudore heſterna febris finiebatur; aſt oris amaror, linguæ impuritas, nauſea, oppreſſio ad ventriculi regionem, dolor capitis, & univerſalis membrorum gravitas continuo

increſcunt; debilitatem accuſat æger, alvus quater mota; urina eadem, eodem quoque modo pulſus ſe habet.

Rec. *Mixtur. ſalin. fortior. doſ. j. ſumat de more.*
Rec. *Pulv. Camphor. ſimpl. nº. vj.*
Aqua cum aceto pro potu.

Veſperi. Febris hora ſolita acceſſit absque præcedente frigore, calor cutis urens, alvus libera; certam quandam mentis perturbationem exortam fuiſſe deprehendimus.

VI. Eadem eſt febris, pulſus adhuc ſubplenus, lingua ſicca fit, reſpiratio multum læſa, facies rubet, caput temulentum dolet; de ventriculo ita conqueritur æger, ut a minimo attactu dolores ingentibus ejulatibus exprimat, anxius eſt, et vix per momentum loco eodem immotus manere poteſt: calor cutis major eſt.

quam febris gradus; vires magis proſternuntur, ſubdelirat ille per vices, lachrymatur pavore citæ mortis, abdomen parumper illi intumescit, alvus fœtidiſſima; tendinum ſubſultus incipiunt; hinc

Rec. *Decoct. emoll. lib. j.*
Arcan. dupl. unc. ſemis.
Acet. vini.
Oxymell. ſimpl. ana unc. j.
ſumat omn. bih. vasc. dimid.
Veſicantia duo ad ſuras
Continuentur pulv. camphor.

Veſperi. Symptomata exacerbabatur, febris enim augetur, pulſus modo concidit, parvus, ſed æqualis; reſpiratio anxia, dolet adhuc inſigniter ventriculi regio, lingua arescit, et cruciat ſitis; anima fœtet, cutis mordaciſſima, meteorismus ſenſibiliter creſcit indolens; facies rubet, petechiæ nullæ, urina alias ſpaſtica,

alba, cruda, nunc incipit jumentoſa fieri, oris ſapor paſtaceus, nauſeæ, et vomituritiones modo deſiderantur; internum calorem patitur, et etiam vaniloquia; alvus ſexies dejecta, liquida; ſubſultus frequentiores occurrunt.

Rec. *Cortic. peruv. unc. un. ſemis.*
coq. in ſ. q. Aq. per dimidiam hor; ſub fin. ebullit. add.
Radic. Serpentar. Virginian. drach. un. ſemis.
per moment. coq. et colat. unc. XII. add.
Syrup. domeſtic. unc. j.
dent. omn. hor. cochl. ij.
Cætera repetantur.
Fotus antiſeptic. ad abdomen.

VII. Res in eodem ſtatu degunt; calor cutis tantillo minor, reſpiratio adhuc ſuſpiriosa, pulſus debilis, per vices intermittens, delirium auctum, muſ-

muſſitationes obaudiuntur, ſubſiliunt frequenter tendines, meteorismus idem; ventriculi regio ſumme dolorifica, ac ſi carditis ſubeſſet; lintea in hoc loco ſuſtinere ipſi moleſtum eſt; os adhuc ſiccum, corpore irritato, quærelas movet, et detectus ſe cooperiri curat; alvus fluida, et intoleranda, urinas enæorema divulſum inficit; aphonus fit

Repetantur omnia.

Veſperi. *S*ymptomata deleteria fieri videntur, delirium auctum, decubitus ſupinus; nigra amurca obducitur lingua, ejusmodi coloris eſt materia nares occupans, et dentes; halitus, et viſcidus ſudor, quo corpus oblinitur peſſime redolent; cætera ut prius

Cum aqua, et aceto laventur os, lingua, et manus.

Vesic. duo ad brachia.
Mixturæ cum cortice addatur
Vin auſtriac. unc iij.
Cætera repetantur.

VIII. Magno vitæ periculo fluctuare æger deprehenditur, profundo nempe ſopore, delirio continuo, reſpiratione ſuſpirioſa; ſpiritum, niſi aperto ore, et abdominis muſculorum beneficio, trahere non valens; pulſu inæquali, parvo, et ad quartam oſcillationem intermittente; convulſus, anxius per aliquot minuta obſervatur; poſtea in priſtinum relabitur ſoporem; ventre tympanitico, oculis lachrymantibus, cute ſubhumida; alvo unica vice commota.

Rec. *Mixtur. nervin. doſ. j.*
Injiciatur clysma antiſeptic.

Veſperi. Dimidiam ille præſcripti medicaminis dosim ſumpſit,

non ſine difficultate: cæteris in eodem ſtatu manentibus.

IX. Nox inſudando peracta; frons, oculi, vultus aliquam ſpem ſalutis nobis pollicentur; reſpiratio eadem, ſed pulſus aliquantulum erectior, raroque intermittens; cutis humida: couvulſiones non adeo frequentes, ſopor non tam altus, a quo excitatus oculos aperit, ſed interrogationibus non reſpondet, urinas cum eneoremate inſedente invenimus.

Repetatur mixtura nervina, et Decoct. Cortic.

Veſperi. Meteorismus ſub alvi excretione minor fit; cætera ut ſupra.

X. Delirium imminuitur, lingua humescit, ſudor perdurat; ſubſultus rari; reſpiratio minori difficultate peragitur; pulſus elevatior, vix in-

termittens, urina jumentoſa. Continuandum in præſcriptis.

Veſperi. Omnino nullam in pulſu inæqualitatem animavertere nobis datum fuit; abdomen ad dimidium prioris voluminis redactum; debilitas inſignis. Continuentur ſupradicta, dein

Rec. *Pulv. Camphor. ſimp. vj,*
det. omn. bihor. j.

XI. Vix aliqua mentis alienatio ægrum turbat; placide enim dormit; ſudor erumpit oleoſus, non amplius cadaver redolens; convulſivi tremitus vix ulli; pulſus incitatus, ſed elevatus, non durus, non plenus vires increſcunt; alvus conſtipata. Repetatur decoctum corticis, cum ſerpentaria.

Caetera intercipiuntur, et pro potu Decoct. hord- cum oxymell.

Veſperi. Ad meridiem æger horripilationibus corripitur per dimidiam horam, cum calore alternantibus; pulſus frequens, calor ſat intenſus; dolor capitis redit, alvus ſicca; hinc clysma emolliens injiciatur ſtatim, poſtea

Rec. *Decoct. Cortic. peruv. lib. j.*
Pulv. ejusdem drach. ij.
Syrup. menth. unc. j.
Det. omn. bih. vaſcul. dimid.

XII. Febris ferme ex integro remiſit, urina furfuraceum, roſeique coloris quidpiam deponit; alvus duabus vicibus ſollicitata; meteorismus nullus; dolor capitis evanidus; acidorum appetentia in medium venit.

Conceſſa fuit limonata pro potu. Continuetur Decoct. Cortic.

Veſperi. En denuo febris iisdem ſtipata ſymptomatibus, ac in priori paroxysmo; aſt verſus quintam ſudor ircœperat cum levamine; alvus ſoluta, et urina eadem

XIII. Omnia ſecunda procedunt; vires auctæ; cæteraque bona. Cum ille inſigniter appeteret, herbas, fructus, et vini modicum dari placuit; decocti corticis tamen renovata eſt doſis.

Veſperi. Pulſus naturalis non eſt, licet æger nullum horrorem aſſereret ſe perſenſiſſe, de capitis tamen gravitate conqueritur.

Rec. *Decoct. cortic. peruv. lib. j. ſumat nykhtemeri ſpatio.*

Inde factum eſt, ut poſt quinque dies, quo decocto uſus eſt æger, priſtinam recuperaret ſanitatem, verumtamen non vires, quibus reficiendis longiori tempore opus fuit. Quum vero reconvaleſceret, capilli omnes illi exciderunt.

OBSERVATIO III.

Perilluſtris ille Noſocomii hujus Univerſalis Medicus Primarius, Hyeronimus de *Vigiliis* (quem honoris cauſa nomino) eo tempore, quo hæc febrium *illioſo - putridarum* conſtitutio graſſabatur, de quadam corporis laſſitudine, et levi anorexia conqueri ceperat, ſed ſponte ſua ſtatim purgatus, illico feliciter reconvaluit.

Indefeſſus, ut de more, ægros inviſit, et licet nova corporis debilitate quadam afficiatur, tamen pari diligentia, ac antea, ſuis fungitur muniis, ſicque in duodecimam uſque diem ſibi non parcit, donec viribus magnopere labefactatis a conſuetis officiis interdicitur.

Ille quadragenarius, et ab annis compluribus hæmorrhoidarius, vehementi, ac pertinaci capitis dolore tentatur; pulſus vigens, ac plenus, hæmorrhoides a nonnullis menſibus ſuppreſſæ, diuturnum illi ad ani regionem cruciatum procreant; levis adeſt anorexia, lingua tamen nitida, ſitis vix ulla, alvus coacta.

Hæc quum ille omnia perpenderet, clyſterem ſibi injici curat, et mixturam epotat ſalinam.

Altera die, cum dolor capitis ſæviret, et circa lumbos, ac femora ma-

gis increſceret, cum etiam artuum gravitatem perſentiret, ex hæmorrhoidibus malum provenire arbitratus, vix petito amici conſilio, ſanguinem ſibi demi jubet ad uncias x. unde ſub veſperas ſequentia ſymptomata in apricum prodiere: id eſt, virium magna proſtratio, appetitus abolitio, lingua mucum gerens, pulſus dilapſio.

Die *III.* Sanguis emiſſus corio phlogiſtico ſuperindutus apparuit, nox irrequieta fuit; reſpiratio a naturali multum abluſit ſtatu; pondus ad ſcrobiculum cordis, dolores articulares, polydipſia, calor internus urens incuſatur; pulſus frequens, debilis, ut vix pedibus inſiſti poſſit: horrores tamen adhuc nulli: accerſitus tum demum medicus, ſequentia porrigi jubet. Repetatur mixtura ſalina fortior, cui add.

Acet. vini unc. j.
detur, ut edoctum ſuit.
Limonata pro potu.

Nil veſpere novi compertum.

IV. Nox uti heſterna; anxia fuit reſpiratio: dolor capitis idem eſt: alvus ter mota: calor corporis externus urens, internos rigores accuſat, et per horæ vix quartam partem locum eundem ſervare poteſt; præſens ſibi eſt, ſitit multum; linguam exhibet glutinoſam, ſapor illi inſipidus; debilitas eadem.

Rec. *Pulv. Tamarindor. unc. ij.*
ſolv. in Aq. ſervid. unc. X. add.
Arcan. dupl. unc. ſemis.
det. omn. bihor. vaſcul.
Rec. *Pulv. camphor. ſimpl. no. vj.*
ſumat ut de more.

Veſperi. Nulla ſymptomatum exacerbatio animadvertitur, alvus bis ſoluta; hinc clyſter emolliens, et pro potu aqua cum ſyrup. Ruboid.

V. Decubitus malus, ſupine enim jacet: oculi triſtes, reſpiratio magis læſa; petechiæ hinc inde ſupra pectus conſpiciuntur, calor corporis mordax; pulſus debilis, os amarum; abſunt vero nauſea, et lingua ſordida, et oppreſſio circa pectus; anima modice fœtens, fæces bilioſæ, ac flavæ; urina decolor

Applicentur duo veſic. ad ſuras.
Cætera ut ſupra.

Veſperi; mens incipit perturbari, ludunt tendines; adſtantes tamen adhuc dignoſcit, quæſtionibus recte facit ſatis; alvus reſerata.

VI. Nox inſomnis, et inquieta; delirium, convulſiones augentur; venter ſit tumidus, urinæ crudæ; ab attactu ventriculi regio dolorifica; oculi rubeſcentes, facies triſtis, decubitus peſſimus; reſpiratio, et pulſus infauſtum omen pronunciant; calor corporis digitos ipſos adurit; lingua, et dentes nigra materia liveſcunt; alvus laxa: ſequentia præſcribebantur.

Rec. *Cortic. peruv. unc. j.*
coq. in ſ. q. Aq. per dimid. hor.
colatur. unc. X. add.
Extract. ejusd. drach. ij.
det. ut docui.
Pulv. camphor. duplic.
Clysma antiſeptic.
Fotus antiſeptic. ad abdom.
Veſicans ad nucham.

Totis quinque diebus in tali ſtatu fuit, continuo nempe delirans, cum pulſu debili, intermittente, ventre

tympanitico, petechiis liveſcentibus, ore fuliginoſo, convulſionibus frequentibus. Repetebatur decoct. cortic. modo unicum, modo cum ejusdem extracto, modo ſerpentariæ nuptum. Vinum, camphora larga doſi exhibebantur. Verum per hæc omnia nihil æger proficiebat, quin imo ſemper ruebat in pejus, nam die nona e deliro furibundus, et phreniticus factus eſt; per intervalla enim primo ſoporoſus, occluſis palpebris, demiſſa voce, diverſa obloquebatur, et aliquantulum quietus apparebat; ſed mox convulſis palpebris oculisque, altum vociferari incipiebat; e lecto proſilire, omniaque tegumenta abjicere conabatur, donec tantis clamoribus, violentisque corporis motibus fractus, per brevia quædam intervalla conquieſceret, qua mœſta, et horribili ſcena ſæpius repetita, duodecima tandem morbi die debitum naturæ perſolvit.

OBSERVATIO IV.

Sub finem Januarii anni 1789 mater cum filia cuidam ægroto adſtitit, qui putrida febri detinebatur. Poſt XIII. dies filia capitis dolore, et quadam corporis gravitate pertentatur; appetitus ipſi fit minor: ex perpeſſis vigiliis, et ex labore, mali cauſam ducebat; multum, licet contra appetentiam, manducans, ut ſic debilitati ſuccurreret, et revera ſe melius habere aſſerebat.

Secunda morbi die, qua filia ægrotare incæpit, mater iisdem correpta eſt ſymptomatibus; aſt ſe eam imitari non poſſe ajebat, cum ſola ciborum recordatione ad nauſeam impelleretur, adeoque conſultius du-

xit adire medicum, qui bene diſcuſſa prius mulierculæ infirmitate, pulverem emeto-catharticum ex arcani duplicati uncia una, et tartari emetici granis duobus ipſi per Epicraſin præbuit; a quo remedio vomitu, et alvo excitatis, plurimum alleviata eſt. Ambo officium ſuum per quatuor dies abſolvunt, donec ſupradicta ſymptomata, quæ eadem intenſitate priorem, ſecundam vero minori urgebant ad noſocomium compellunt, in quo ſuſceptæ, examine peracto, pari morbo ægrotantes, pari ratione tractantur, mixtura nempe ſalina fortiori, a qua bis filiæ tantum, matri octies alvus relaxabatur.

Altera die filia dolorem ſibi auctum ad occipitis regionem accuſat, linguam ſordidam præbet: os ipſi amarum: imperata alta inſpiratione pondus ad ventriculi locum, attactum non absque moleſtia ſuſtinentem,

animadvertimus; nauſea tamen nulla, pulſus frequens, ac mollis.

Hisce in circumſtantiis heſterna repetitur medicina.

Mater contra aliquatenus melius ſe habet: huic vero continuatur mixtura ſalina communis.

Quarta die ſupra prioris fœminæ pectus petechiæ conſpiciuntur, ſubſultus tendinum identidem apparent, leve delirium inſurgit; febris eodem modo, ac ab initio perdurat; calor tamen mordax fit; alvus bis ſollicitata. Repetatur et hodie mixtura ſalina; dein

Rec. *Pulv. camph. ſimpl. vj.*
Veſicantia duo ad ſuras.
Enema emoll.

Ma-

Mater leviter adhuc febricitat; nauſea tamen cum oris amaritie ſupervenit; lingua quoque ſub - albeſcens fit; vomitum per duas vices patitur, a quo levamen experta eſt. Nihil præter decoctum commune pro potu exhibetur.

Quinta. Filia in diſcrimine verſatur, delirans nempe cum reſpiratione ex improviſo fere intercepta, lingua ſicciſſima cruſtis obducta, tremore labii inferioris, meteorismo; urina nulla, alvo ſtricta; hinc applicetur veſicans ad nucham, et ad abdomen fotus antiſeptic.

Repetantur pulv. camphor.
ſed duplices
Enema cum camphor.
Continuetur cum camphor.
cui add.
Acet. vini unc. j.

Veſperi. Res uti mane permanent; alvus tamen diarrhæica facta eſt, cum fæcibus olidiſſimis.

Sexta. Mater licet in ſummo vitæ periculo filiam conſpiciat, tamen ſe cibos appetere fatetur, amaror oris, et ſupradicta ſymptomata diſparuere. Tertia ipſi conceditur diæta, absque carne.

Filia inquietiſſimam transegit noctem, nil melius offerens: ſubſiliunt illi frequentius tendines, et pulſus parvus, ac irregularis; hinc

Rec. *Spirit. C. C. drach. j.*
Sal. ſuccin. q. ſ. ad perfect. ſaturat. cui add.
Aq. menth. unc. VI.
Extract. Cort. peruv. dr. III.
Vin. bon. Auſtriac. unc. III.
Syrup. Ruboid. unc. II.
ſumat omn. bihor. cochl. ji.

Rec. *Rad. Serpentar. Virgin. dr. j.*
coq. vaſ. clauſ. per quadrant. hor. ſub fin. infund.
Flor. Arnic. drach. ij.
Herb. Menth. man. ſemis.
ſtent in infuſ. calid. per quadrant. hor.
colatur. lib. j. et ſemis adde
Spirit. Vitriol. gutt. XXXX.
Oxymell. ſimpl. unc. ij.
ſum. omn. hor. vaſcul. dimid.
Continuetur Camphor.

Septima die omnia de vitæ filiæ deſperandum eſſe innuunt. Nihil efficiunt præſcripta, et circa dimidium ſecundæ hebdomadæ diem ultimum clauſit, dum mater ipſa priſtinæ valetudini reſtituta eſt.

Plures adhuc obſervationes proferre poſſem, ſed quum fere in idem recidant, ac morbi ſuperius recenſiti, peculiarem de reliquis hiſtoriam te-

xere ſupervacaneum duco. Quatuor illas data opera ſiſtere malui, in quibus etſi infirmitatum decurſus invicem convenerint, fuere tamen, quoad rei eventum, inſigniter diſcrepantes. Non abs re mihi tamen eſſe videtur aliqua adnotare, quæ in hisce hiſtoriis obvenere, ut talibus in Epidemicis conſtitutionibus pertractandis accuratiores, dexterioresque evadamus; et ut recto procedamus ordine, ad primam revertemur hiſtoriam.

DE VENÆSECTIONE.

Si in genere loquamur, venæſectio in morbis gaſtricis, ſeu bilioſis, aut bilioſo-putridis male audit, in ſubjecto tamen plethorico, et in complicatione inflammatoria a practicis omnibus, et proponitur, et commendatur. Anceps revera fuerat in propoſito infirmo venæ ſectionis indicatio. Spiritus contractio, dolor pec-

toris lateralis a tribus excrucians diebus, et ipſe pulſus illam requirere videbantur: verum cum jam Epidemicus patuiſſet character, licet inflammatorius nobis eſſe appareret morbus, tamen niſi avariſſima manu ſanguis demebatur; et reipſa vires illico proſternebantur, pulſus nempe adeo concidebat, ut poſt tertiam ſanguinis unciam abſiſtere cogeremur: ex quo liquet, numquam medico ſatis eſſe in venæſectione prudentiæ. Neque fidendum eſt ſanguinis ipſius naturæ, monente celeberrimo *Frank*, (quem non tam veluti Inſtitutorem meum veneror, quam ſcientiæ ipſius gratia), quam plerumque ejus indicia per ſemetipſa ſuſpecta ſint, niſi ab indiciis aliis fulciantur, ac comprobentur. Hoc apud ægrotum noſtrum experti ſumus, ob phlogiſticæ ejus ſanguinis indolem. Id autem non magnum nobis negotium faceſſebat, cum et brutorum bene habentium

ſanguinem phlogiſticum eſſe deprehenderit *Darvinus*, quod idem in gravidis, et in hydropicis ſæpe obſervandum venit. Quum neceſſitas impellat, ea non eſt negligenda; ſed juxta conſilium illuſtris *Cera* potius ad ſcarificationes, aut hirudines confugiendum, et ſi ipſamet venæ ſectio indicetur, Medicus (ita *Frank*) adſit, tacitos in pulſu ſenſus attrectando disquirat, dum ſanguis fluit; et quousque ei fluendum ſit, vel ſiſtendum, pronunciet.

DE EMETICO.

Fortaſſis mirabitur quis, emeticum ægroto noſtro propinatum non fuiſſe, cum et nauſea, et linguæ ſordes, appetitus dejectio, et ventriculi oppreſſio hoc aperte nimis poſtulare viderentur. Emetici denegandi ratio pluribus adſtruitur argumentis. Modo ſuperius relata ſymptomata ſub

inflammatoria larva deliteſcentia, tamquam contraindicationes ſuſcepta ſunt; dein cum ægroti Noſocomia adeuntes jam diu domi ægritudinem ſuſtinuerint, et non niſi provecto morbo ad nos deferrentur; ita biliosa, aut ſaburralis materia non ſolum in ventriculo reſidere, ſed jam reſorptam eſſe cenſendum erat; hinc parum, vel ferme nihil emetico præſtari a compluribus aſſeritur. Aegrotorum noſtrorum, aliorumque hominum ad ſanguinis vomitionem proclivitas hic longe major eſt, quam apud cæteras regiones, et hæc tamquam emetici coercitio, aut contraindicatio adnumeranda venit. Huc et alia ratio accedit *): herniarii, hemoptoici, phthiſici non minores numero hic,

*) Huc ea argumenta congeſſi, quæ ab acribus emeticorum impugnatoribus in medium proferuntur: at ea occaſione, quam longe aliter ipſe ſenſerim, inferius videre eſt.

quam alibi occurrunt. Qui ex iſtis noſocomium, morbo jam adulto ingrediuntur, ſæpe ſtupore, aut quadam mentis alienatione affecti, non ſolum ejus morbi, quem quis hucusque ſuſtinuit, ſed et præſentem, quo detinetur, neſcit referre; adeoque ſagacia majori, prudentiave medico eſt opus, ne ab exhibito emetico triſtia exurgant fata, ut ſæpe fit: ideoque præferenda eſt purgantium methodus, cum non raro eorum ope vomant infirmi, et ſic emetici vices gerant. Mixtura ex. gr. ſalina non ſolum materias in inteſtinis hærentes ad lucem revocat, ſed etiam per ſtimulum ab illa productum, affluxus facit, et ſic illuc deportantur ea, quæ ex integro abſorpta non ſunt. Cum ergo ab illa idem fere effectus, ac ab emetico obtineantur, diſpoſitioni ſuperius relatæ emeticum non ſuffragabitur.

Hæ ſunt cauſæ, de quibus nonnulli vomitoriis infrequenter utuntur. Illud revera certum eſt, quod in complicatione inflammatorio-bilioſa, aut putrida, ſumma in emeticorum præſcriptione parcitas adhibenda veniat; illud quoque certiſſimum habetur, quod dum hæc ſubſiſtit, nisi phlogoſi abacta, omnino abſtinendum ab emetico ſit. At nunc videndum, an in noſtra conſtitutione vera diatheſis inflamatoria conjunctim ſubfuerit, nec ne. Non in ſubjecto uno, ſed in pluribus obſervare nobis licuit, quod parca venæſectione vix inſtituta, pulſus una cum viribus concideret, ſymptomata gaſtrica magis evolverentur. Ex quo plures, tamquam optimi naturæ interpretes, doctiores effecti, excepto eo caſu, in quo manifeſta inflammatoria indicia (quod interdiu contingebat) prodirent, antiphlogiſticam methodum ex integro reliquerunt; morbum uti perſonatum ſuſpi-

eantes, et tanquam nullius momenti dolores laterales, vagantes, cephalalgiam, pulſus tenſionem, ſimiliaque a materia gaſtrica, aut bilioſa provenire dijudicabant. Hinc ad evacuantium uſum, uti ad ſacram anchoram confugiebatur. Si ergo ſymptomata emeticum contraindicantia non erant momentosa; ſic e contrario methodum evacuatoriam ſequi tántummodo fas erat: tunc emeticum præſtari conſultius duci poterat. Verum in ægroto noſtro, tam ob pinquedinem corporis, quam ob deſcripta ſymptomata, quibus etiam tuſſis ibat comes, non ſatis indicatam eſſe emetici neceſſitatem, jure merito cenſebatur.

Ratio autem, quare in ægris noſocomio ſuſceptis, utpote domi utplurimum longo tempore ægrotantibus, ob eorum ſaburram bilioſam, quæ in primis viis non tantum reſidet,

ſed jam resorpta ad ſecundas penetravit, vix emeticorum uſus admitti poſſit, non ſolum inter futiles, ſed inter pernicioſas amandanda eſt. Quis enim ex optimis practicis emeticorum vires ignorat? an ne tantum in ventriculo, aut ſua concuſſione electri ad inſtar in ſecundis etiam viis optimos conſequuntur effectus? Non ne poſt iſtorum aſſumptionem alvum ter, quater, pluribusque vicibus laxari novimus? Nonne ſic unico tractu rejiceretur illud minori virium jactura, quod per decem purgantia non excreatur? morbi nonne ſic brevior decurſus fieret, minorive in periculo verſarentur infirmi? viderint omnes.

Si infirmorum proclivitas ad ſanguinis vomitionem non adeo nonnullorum mentem præoccupaſſet, indubitatum eſt, quod ea et minoris damni futura eſſet. Quando ſympto-

mata gaſtrica, aut per linquæ ſpurcitiem, oris amarorem, pondus ad cordis ſcrobiculum per vomituritiones ipſas, perque vomitus apparent, feſtinanter illico emeticum propinari deberet. Aſthmatico certe, quem biliosa febris arrepſerat, de celeberrimi Practici *Cullenii* preſcriptu, emeticum feliciſſime ceſſit; et prægnantibus ipſis, ut mihi bis licuit animadvertere, ſecuram per emeſim opem præſtitit laudatus a me ille in Ticinenſi Clinica præſtantiſſimus Profeſſor *Frank*. Sed quid juvat exempla extraneorum adducere? Nonne ab Illuſtr. *Stollio* in Epidemia gaſtrica ab ſe elegantiſſime deſcripta iis, in quibus vix ulla gaſtrica indicia deprehendebantur, ſolis emeticis curabantur ægri; nonne quum phthiſico cuidam illa propinaverat, citiſſime a morbo gaſtrico illo reconvaluit?

Quod attinet ad hernioſos , et hæmoptoicos , reſpondebo , non ſatis laudandam eſſe in hisce caſibus medicorum prudentiam , præſertim quoad primos , licet officium ejusdem naturæ miniſtri ſit, ab infirmis diſcere , an tali afficiantur incommodo , necne, antequam ad emetici præſcriptionem deveniatur. Nihil dico de hæmoptoicis, cum mox ſupracitati phthiſici (qui et hæmoptoicus erat) exemplum , quod aliquando , licet raro , in hiſce circumſtantiis locum habere poteſt, abunde ſufficiat.

Circa tempus emetica præſcribendi , dies deficeret , ſi huc ea omnia , quæ dici poſſent recenſenda eſſent. Illud tantum in præſens juverit noſſe , quod in toto morbi decurſu, dummodo ſymptomata urgeant , locum emetica habere poſſunt. Hoc ego experientia factum idem didici , ſub præfati Inſtitutoris mei diſciplina,

pluries cum morbi levamine, ſexta, ſeptima, atque identidem decima die, quin imo etiam tardius, emeticum propinari.

Circa ultimi problematis ſolutionem vix immorabor, cum ex antecedentibus, quam exilis ſit hæc opinio, et claudicans, quantum experientiæ, ſanoque judicio obverſetur, evidenter deduci poſſit. Atque utinam aliter communis ferret opinio! Fortaſſis epidemicæ conſtitutiones, niſi radicitus extirparentur, ſaltem minora humano generi detrimenta inferrent.

Licet tandem ob manifeſta contraindicantia purgans aliquando præferri debeat, hoc tamen ita lato ſumi non debet ſenſu, præſertim in illis, qui ex contagio morbum contrahunt, in quibus non ſolum et inflammatoria diatheſis, et haereditaria ad phthiſin

diſpoſitio, herniæ timor, aut hæmoptyſis præcautio deſiderantur: quin etiam ab initio de bilioſis ſymptomatibus conqueſtio fit. Tamen, quod turpe eſt, repetitis purgantibus obviam ire in uſu habetur, quod et ægrorum ſaluti, uti captu facile eſt, noxium fit, et noſocomii ipſius cenſum privatum non modo, ſed et publicam utilitatem non modice labefactat, veteribus morbis in ævum protractis, novisque infirmis debitam curationem fruſtra morantibus.

Utinam et ipsimet, qui medicinam faciunt, quum capite laborantes, corporis laſſitudine, inappetentia comite, ac ſimilibus ſymptomatibus cautius ſaluti ſuæ proſpicerent, morbique cauſas, in quibus ſunt, maturius diſcuterent, minusque de rheumaticæ affectionis effectu ſolliciti eſſent; tumque certo certius chariorum victimarum turba non ita

in immenſum ſuccreſceret *) et reipublicæ toti minora exurgerent damna. Sed de hoc ſatis; ac illa, quæ noſtri inſtituti ſunt, proſequamur.

DE CAMPHORA.

Hæc immaturo tempore nonnullis forte præſcribebatur; ecce tamen qui-

---

*) Quot, quantique ab anno 1784, id eſt ab eo tempore, quo Noſocomium iſtud exſtructum fuit, usque in hanc diem Medici, et Chirurgi deceſſerint, mirum identidem omnibus, ac notum eſt. Tanti vero infortunii cauſam aſſerere vix poſsum. Ex una parte etenim ita compertum eſt, omnia de Supremi Directoris nutu, ac vigilantia pe[illegible]i tam ordinate, ac attente componi, ut ab Imperatore noſtro jure proinde, ac merito muneribus ampliſſimis, ac demum Liberi Baronis titulo decoratus ſit. Ex alia vero (uti biennio fere comperi) tanta fuit penes nonnullos medicos, ac chirurgos proprie ſalutis in tanto morborum diſcrimine deſidia, ut fatum extremum iis eſſet neceſſe obeundum.

quibus de cauſis. Vix pulſus debilior evadit, aut vires pauliſper languere incipiunt, mox ad camphoræ uſum noſtri mèdici confugiunt, et optima quidem ratione. Quantum illa præſtet in ejusmodi morbis, dummodo opportunum ſervetur tempus, nemo eſt, qui ignoret. Aliquando ejus vis eluditur eo, quod ſero nimis exhibeatur. Licet febris ad ſimplices bilioſas pertineat, licet gaſtrica urgeant ſymptomata, dummodo debilitas aliqua inſurgat, hanc datam, et quidem cum optimo effectu perſæpe vidi; ſic illa non ſolum ejusmodi morbi degenerationem præpediebat, verum etiam feſtinabat curam, et ſanitatem. Quam bene ex illa eveniat, medici omnes teſtantur. Sub hujus uſu vires eriguntur, ſtomachus melius per ipſam viget, naturaque fortior facta, morbi coctionem ſuſtinet, materia elaborata egeritur, et paucos intra dies priſtina jam redit

valetudo, ut in noſtro contigiſſe deprehenſum eſt.

Si Auctores conſulamus de camphoræ exhibitionis tempore, vel etiam de illius quantitate, multum illos videbimus invicem diſſentire. Utplurimum ægrotis tale remedium exhibetur tunc, cum de magna virium proſtratione conqueruntur, cum pulſum exilem, ac parvum babent, cum vel convulſionibus tenentur, vel delirant etc. Si vero pulſus duriorem ſe præbeat, licet parvus ſit, et intermittens, ſubſtituitur moſchus, quod tamen medicamentum, hic usque adhuc porrigere mihi videre non licuit, ob pretii fortaſſe magnitudinem; dum tamen iſtis in circumſtantiis largiori manu camphora diſtraheretur.

Quoad doſim inſignis eſt etiam inter Practicos diſcrepantia. *Hoffmannus* ad drachmas duas, *Cera* ad

ad tres, nycthemeri ſpatio exhibent. *Crantz* e contra ad grana duo, vel tria tantum ſuadet, quæ doſis ter, quaterque de die repeti poteſt, cui opinioni et *Vogel*, et *Spielmann* accedunt. Illuſt. Baro de *Quarin* ultra ſcrupulum præbere non audet, nam porrecta doſi majori, obſervavit pulſum celerrimum factum, oculos torvos, exardeſcentes, convulſiones, et phrenitidem lethalem; hinc *Geoffroy* monet, quod a nimio camphoræ uſu gravitas capitis, vigiliæ, et diſpoſitio ad inflammationes nascantur, et Berolinenſis Medicus *Loeſeke* *) expertus eſt, a ſcrupulo uno pulſum imminui, a drachma dimidia eumdem augeri, et caput obnubilari; a ſcrupulis autem duobus convulſiones quoque inſurrexiſſe. Neque hic valere

*) Abhandlung der auserleſenſten Arzneymittel. Berlin 1778.

debet *Mutzelii* obſervatum, qui per quindecim dies maniacis, et melancholicis quotidie unciam dimidiam camphoræ, absque pulſus, aut morbi ſenſibili mutatione, potuit exhibere. Non ignoramus enim, quod ipſimet nequidquam a fortiſſimis draſticis afficiuntur, ncc a nimia opii doſi, nec ab ingenti ſpirituoſorum copia, aut aliis venenatis medicamentis, uti ante paucos menſes ipſe in quodam maniaco deprehendi, qui viginti quatuor horarum ſpatio ſcrupulos duos et ſemis belladonnæ, absque ullo incommodo ſumpſit; verum mediam hic tenere viam ſi placuerit, a recte rationis tramite, nemo ſe deflexiſſe dolebit.

Methodus, quæ a Noſocomialibus medicis adhibetur, in bilioſis ſimplicibus, dummodo indicetur, eſt camphoram porrigere ad dimidium granum, cum ſacchari drachma dimi-

dia, ſicque propter neceſſitatem plus, aut minus de die repetitur; in gravioribus vero morbis adaugetur doſis usque ad grana ſex, octo, decem. Ipſam vero in mixtura facilius ab ægris ſumi, quam aliter, conſtanter mihi notavi, etiam tunc, cum de delirantibus, de lingua cruſtis obducta, deque convulsionibus ſermo eſſet.

DE DIEBUS CRITICIS.

Undecima morbi die infirmus noſter peſſime ſe habebat, uti ex hiſtoria patet. Nonne autem hæc dies tanquam imminentis criſis indicatoria conſideranda venit? Id, quod accidit verſus decimamquartam, ſatis ſuperque adſertum meum confirmare videtur. Urina antea cruda, alba, nunc turbida cœpit fieri; tuſſis antea ſicca, nunc comitantibus ſputis apparuit; ex quibus aperte docemur, natura ipſa materiam elaborari, et ad coctionem

præparari, ut revera videre fuit. Eo tempore, utplurimum ſymptomata exacerbantur, tuncque medicum ibi decet attentius animatvertere, accuratiusve cavere, ne remediis naturam infirmet, aut perturbet; ſed tantum eam manuducat, auxilioque juvet.

Pluribus celeberrimis viris obſervandum obtigit, quod certis morborum diebus insignes videantur eorundem mutationes, quæ de vita, vel de morte ægrotantis negotium dirimunt, vel ſaltem ad valetudinem recuperandam plurimum conferunt. Sunt autem id genus mutationes nil aliud (ita *Galenus*), quam totidem pugnæ morbos inter ac naturæ vires; ex quorum conflictu humanæ vitæ exitus pendet, veluti ac ſi ex hoſtium congreſſu victoria, et pax, aut exitium ultimum exspectetur.

Sed noſtra hac ætate nimis negligunt nonnulli dierum criticorum enumerationem, eamque veluti antiquatam, nescio qua fulti opinione, deſpiciunt. Eam in chronicis affectionibus non adeo multi momenti eſſe, negare non audeo; in acutis vero morbis non ita ſentio. Dierum obſervationes in omnibus morbis, quanti priscus ille medicinæ reſtaurator *Hippocrates* fecerit, ſatis evidenter ejus ſcripta declarant; ſic autem docet ipſe *) „Medicus, qui de ægrorum „ſalute conjectare volet, animad„vertat oportet, ut omnes quidem „dies in contemplationem adhibeat" Verum hæc ſententia in acutæ indolis morbis potius, quam in chronicis amplectenda eſt, cum primi certo quodam ordine procedant.

---

*) De octimeſtri partu Foeſii T. 2. p. 257.

Quam pulchre autem hactenus dicta, cum tot poſt Hippocratem ſæculorum experientia congruant, fuſius inde paſſim viſuri ſumus. At ne prolixior ſim, unicum tantum hac in re ſufficiat exemplum attuliſſe, excerptum ex Diſſertatione de diebus criticis Ignatii *Pök* edita de conſilio præſtantiſſimi viri Profeſ. *Trnka* (non tam ſcientia in rebus medicis, quam ſummæ humanitatis laude florentiſſimi.) Referente *Zimmermanno* in *Halleri* vita H. F. *Delius*. „Memo„rie longe digniſſimum cenſuit; nem„pe fœmina cœlebs, novemdecim an„norum e febri acuta die VI. admo„dum ægrotabat cum lachrymatione „involuntaria; die VII. erupit larga „e naribus hæmorhagia; die XI. „alvus fluxit; inde miliaria die XIV. „rubra; XVII. alba effloruere; poſt „diem XXIV., quo multum ſudavit, „melius ſe habuit, et quarta vertente „hebdomada plane convaluit.“ Ne-

mo hanc doctrinam luculentius excoluit ipſo *Galeno*; qui tres libros de diebus decretoriis conſcripſit; in queis, quid circa ſingulas morborum dies, quatenus ad criſes pertinebant, obſervaverit ipſe, diligenter, fideliterque retulit, nempe in quos crebræ, ac fauſtæ criſes caderent, in quos rariores, ac minus fidæ. Neque alii defuerunt, qui hanc doctrinam plurimi æſtimarent; inter quos perilluſtris de *Haen*, qui elenchum dierum criticorum concinnavit.

Qui autem veterum, et recentiorum auctorum codices pervolvere parumper attentius volet, videbit, quantum monita Hippocratica, utpote veritati conſona facienda ſint. Et revera legimus apud *Ramazzinum* in ſua conſtitutione Mutinensi *) quod

*) Ann, 1691. pag. 164.

quibus ad finem quartæ diei cutis humidior, aut urina turbida fieret, modo per hanc, modo per illam verſus ſeptimam judicabantur; et apud *Ballonium* *1) eo tempore, quo Pariſiis anno 1676. pleuritides, et peripneumoniæ graſſabantur, omnes illi peribant, qui versus quintam nullum ſputum excreabant, aut ſymptomata graviora patiebantur. Dein infinitus eſt fere numerus eorum, qui hæc obſervarunt, inter quos legendi veniunt *Sydenham* *2), *Mortonus* *3) *Sennertus* *4) *Proſper Alpinus*, *5), *Baglivius*, *6) *Foreſtus*, *7) aliique, quos brevitatis ergo miſſos facio.

---

*1) Epidem. lib. 2. pag. 150.
*2) Oper. omn. pag. 50. 62 et ſeq.
*3) Pyretholog. pag. 237.
*4) De febrib. lib. 4to. cap. 17.
*5) De præſagienda vita, et morte lib. IV. cap. 11. et lib. VII. cap. 19.
*6) In Epiſt. ad Andry pag. 707.
*7) Obſervat. et cur. medic. lib. VII. obſervat VII.

Neglectis autem enumerationis diebus quot non damna inſurgunt? Atque hic poſſem ego plures recenſere errores, quos in Medicorum libris invenire eſt, ſed unum exemplum in medium afferre liceat, quod narrat illuſtr. Dr. *Panaroli* *) „Hoc „anno, ait ille, in quodam medico „celeberrimo obſervavi, qui XIV. „die mane cucurbitulas ſcapulis ap„plicari juſſit ſcarificatas, credens „eſſe XIII. diem, et hoc modo cri„ſim per urinam imminentem cohi„buit, ægerque vigeſima prima die „propter medici, erratum obiit, „dum XIV. die criſim jam apparen„tem compeſcuit, ex quo mors ſub„ſecuta.“

Aliquando tamen ſucceſſivæ mutationes in morbis quibusdam non eo

---

*) Obſervat. medic. pag. 122.

ordine, ac in aliis deprehenduntur. Naturæ eſt hic quoque, ac in cæteris rebus veluti quidam luſus, quamvis utplurimum ex non recta dierum enumeratione pendeat. *Hippocrates* *) ipſe ſatis ſuper hoc inſtat memorabilibus verbis illis „obſervare itaque „primum diem oportet, quo æger „debilis eſſe, et unde, et quando ini„tium morbi cœpit, quod certe præ„cipuum cognitu exiſtimatur.“ Interea difficultas hæc non alias, niſi tum enaſcitur, cum dies decretorios ultra morbos febriles proferre contra *Hippocratis* mentem audemus: in febribus enim, præſertim acutis, principia manifeſta ſunt. Anceps tamen erit quæſtio circa primum diem ſupputandum in febribus puerperarum; an nimirum ab ipſo partus die, vel potius a febris acceſſu dierum criticorum

---

*) De ratione victus in morbis acutis p. m. 400.

initium petendum ſit? In hoc enim ſtatuendo diſtat multum ſententia *Coi* ab illa *Galeni*, et hujus opinio ab aliorum apinione differt; dum ſic primum ſpectes, ille a febris ingreſſu dies numerat; ſi ſecundum, a partus initio; ſi alios, tribus a partu diebus.

Verum enim vero, licet omnis hæc dierum criticorum doctrina nulla hypotheſi, et tantummodo e ſidelibus plurimorum ex ordine ſæculorum obſervationibus profluxerit: haud defuere tamen, qui eam veluti purum et putum commentum, vel ſaltem velut fœtum ignoratæ melioris methodi aufugium eſſe ſibi, aliisque perſuadere conati ſint, eamque, conquiſito undique argumentorum exercitu, profligare e medicina valuerint, quos inter acerrime rem geſſit *Pujattus.* *)

---

*) Diſſertat. medic. V.

Aſt in morbis acutis nimis frequenter criſim certis diebus inſurgere videmus, ideoque, ut jam ab initio dixi, illi ſunt maxime attendendi. Confirmatam fuiſſe quoque veritatem hanc in relato ægroto jam compertum eſt, cum die XIV. per ſudorem, urinam, ſputa, criſis apparuiſſet, ac de morbo per hæc vehicula, ſeu colatoria ſatis aperte fuerit pronunciatum.

DE CORTICE PERUVIANO.

Veſperi tantum, die morbi undecima ſcilicet, ideoque ſero Cortex porrigebatur, quia non niſi ſub veſperas exacerbationes retegere datum erat: dein cum materiæ bilioſæ eo magis evolverentur, et in partes omnes tumeſcerent, ne ſic fomes inimicus domi concluderetur, ad Chinam confugere primo noluimus. Cum vero ſufficienter depurgatus æger vi-

deretur, cumque ſymptomata exitium extremum portenderent, tunc ſtatim cortex in decocto præſcribebatur, cujus extractum etiam additum fuit; ut ſic ejus virtus acueretur, neque cutis, ac linguæ ariditatem, neque calorem, et dyſpneam timuimus, bene gnari celeb. *Letſomii* præceptorum. Attamen in hoc ſtatu evacuantia non negligebantur, cum nobis perſpectum fuerit, in ſimilibus affectionibus continuo novam generari materiam, quæ revera ex omni parte prodibat. Licet autem ſymptomata deteriora fierent, tamen excepta die decima tertia, in qua vix aliqua futuræ ſanitatis ſupererat ſpes, deſiſtere a cœptis noluimus, atque eo tempore mixturam nervinam adminiſtravimus in incertum, cum jam judicio noſtro ipſa mors faucibus inhæreret. Ac ſane extremorum artuum frigeſcentia, facies Hippocratica, ſenſuum externorum abolitio, fœtor corporis cada-

verosus, vesicantium ulcera gangrænoſa, pulsus vix ſenſibilis, ac denique ſingultus, prognoſim omnino lethalem ominabantur; attamen præter omnium expectationem ad priſtinæ ſalutis auram denuo feliciſſime evaſit. Id nobis igitur argumento eſſe poteſt, quod nec morbi gravitas, neque extremum periculum ſanæ indolis medicos ab infirmis avertere nunquam debeat, et quamvis in ultimo vitæ agone reipſa verſentur, nihilominus uſque dum ſpiritum ducunt, ipſis adhuc, quantum per artem liceat; ſubveniatur. Atque hic quidquam aliud mihi in mentem venit, quod vix ante triennium in Ticinenſi Clinica accidit. Ad ultimum vitæ diem tricenarius quidam ex vehementi peripneumonia detentus adducebatur, ſtertoroſa reſpiratione, minimo pulsu, ſudore jam gelido, ac gelidis extremitatibus .Jam deſperate habenti, præclariſſimus tamen Profeſ-

ſeſſor juſſit remedia præſcripta exhiberi. Mirabantur nonnulli, deperditum rati quodvis medicamentum: verum admiratione communi, increſcentibus altera die ſputis, ſudore excitato, alvo ſoluta, paulo melius habere cœpit, et non longo decurſu temporis reconvaluit. Hæc mirabilia revera ſunt; aliquando tamen, ubi de acutis præſertim morbis agitur, fiunt.

DE FOMENTATIONIBUS.

De his aliquid dicendum eſt, quibus æger utebatur. Si venter intumeſcit in febribus bilioſo-putridis, ut fibrarum atoniæ, ex qua pendet, meteorismus, occurramus; fotus antiſeptici, ſcopo putredinis arcendæ, et elaſticitatis reſtituendæ ab omnibus præſcribuntur; nam ſic major aëris evolutio interdicitur; ſi tympani adinſtar abdomen reſonat, et dum con-

trectatur, indolens videatur, tunc maximo forent uſui fotus; contra vero, ſi dolorificum fiet, nam tunc inflammatio ſuccrescit, aut ſubſequa ſæpe venit; hacque de cauſa in propoſito infirmo irritans quodve medicamen miſſum facere oportuit, cum et tuſſis, qua identidem vexabatur, et ſumma ventris ſenſibilitas latentis inteſtinorum inflammationis non vanum nobis timorem incuteret; ideoque ad emollientes confugimus, et quidem auſpicatiſſimo eventu, uti et in pluribus aliis experti ſumus.

Corticem vero peruvianum ſub morbi finem, diebus aliquot retardavimus; cum tuſſis non nullæ intenſitatis urgeret, cumque pulſus ſat validus factus eſſet, et ipſi emollientia, et demulcentia ſubſtituebantur; ne ſub corticis uſu morbus exaſperaretur. Verum conquieſcentibus iſtis ſymptomatibus, denuo priſtinam ar-

ripuimus methodum, virtute cujus effectum fuit, ut vires reverterentur, linquæ evaneſcerent ſordes illæ, quæ ſub morborum finem ex laxitate, ſeu juxta clariſſ. *Frank* ex debilitate proveniunt potius, quam ex ſaburrali materia. Quod erat in votis, reconvaluit ea de cauſa infirmus, atque nobis libentiſſime ſanus valedixit.

Quod ad ſecundam hiſtoriam pertinet, pauca admodum adnotanda veniunt. Liquet ex iis, quæ jam in ipſa exposui, quod de gaſtricis, ſeu bilioſis ſymptomatibus, quibus accedebant etiam inflammatoria, ſub initiis agebatur; pulſus enim vigens ac plenus venam pertundi poſſe edocebat: verum tamquam a lethali abſtinuimus, et licet ſubſequentibus diebus eo magis inflammatoriam naturam portenderet morbus: tamen nec tunc de vena ſecanda verbum fecimus; cum in evacuantium, et camphoræ ſubſidiis

omnis cura poſita, cumque nil magis cordi eſſet, quam priori remedio primas, et ſecundas vias detergere, nilque auſpicatius intendi poſſet, quam ut certioribus mediis vires vitales altius erigerentur. Forſan emeticum ob nauſeam continuo perſtantem, aliaque gaſtrica ſymptomata urgentia morbum citius ac felicius abegiſſet? *) Hoc ego lubens permiſerim ſapientioribus judicandum. Mixturæ ſalinæ ope, utpote quæ in Noſocomiis tamarindis, cæteriſque ſalibus prætio tantum non virtute, ac re potioribus præferatur, rem expedivimus.

*) Ita ſenſiſſe videtur etiam *Baglivius* ubi de Praxi Medica pag. 156. ita ſe explicat: „*Germanis populis, propter annum ferme ſemper hyemantem, et quia nimis gulæ indulgent, emetica cæteris nationibus utiliora cenſet.*"

Urina vero, quæ die quinta cruda et albeſcens profluxit, nonne exſtitit pathognomonicum ſubſequentis delirii indicium? *Pringlii* effatum mihi inde viſum eſt tamquam ſacrum. Sexta morbi die, cum remitteret ſub veſperam febris, ſtatim poſt veſicantia cortex adminiſtrabatur.

Septima, et octava morbi dies tota in diſcrimine erat; et licet ſymptomata erumpere ceperint, nobis aliquod adhuc inhæſit ſalutis omen; ac revera circa diem nonam per cutim, urinam, et alvum ægrotus ab interitu vindicatus fuit, quod noſtro de diebus criticis argumento vim, et præſidium ultimum affert.

Febris, quæ ab initio intermittentis typum prodiderat, eandem iterum undecima morbi die ſcenam luſit: aſt illam minime veriti ſumus, cum peruviani corticis uſum mordi-

cus teneremus; tam fauſtis effectibus, ut a die tertia de febri nec ſermo amplius eſſet.

Capilli defluentes morbi perpeſſam aſſerunt gravitatem: hoc iis tantum contingere, qui contagioſa putrida febri laboraverint præſumunt nonnulli; aſt experientia gratuitam illorum facit opinionem.

Quod ad tertiam obſervationem attinet, quænam detrimenta tam largiter inſtituta illa venæſectio pepererit, conceptu non eſt difficile; quoniam debilitata natura, et jam ab ipſomet morbo defatigata, ejus vim ultra ſuſtinere poſſe, vix credibile foret; ideoque neceſſe erat fato fungi, non ſine ingenti ægrotantium omnium damno, ac luctu bonorum.

Ad ultimam tandem illud eſſet animavertendum; quanam ra-

tione tam diſparem exitum a matre ſortita sit ſilia; cum utrisque par morbus e contagio inceſſerit: ſed ex hiſtoria ipſa colliget unusquisque, neglectum non ſolum fuiſſe filiæ morbum, immo vero exaſperatum. An non hinc emetici tempeſtive exhibiti effectus feliciter matri ceſſiſſe evidentiſſime evincimur? Aut non etiam propitio ſecundæ medicinæ eventui, eo quod excitatus vomitus levamen attulerit, tam inſperanda ſalus non eſt adſcribenda? vix ullum bene ſanum diſſentire crediderim; ſed libentius hoc disquiſitioni eorumdem ſubjicerem, qui perpetui officii cauſa in mephitico, ac contagioſo aëre degentes, vix ægrotantes, licet alias perdocti, de nulla re alia minus, quam de vero morbi ſtatu ſolliciti ſunt; quin immo (nescio an timor aut inſcitia hic culpanda veniat) ad rheumaticas, inflammatorias, catarrhales affectiones animum converten-

tes ſibimet ipsi antirheumatica, venæ ſectiones *) diaphoretica arrogant, quo demum eventu, (heu) infandum renovare dolorem opus non eſt!

DE CURA.

Ut quædam autem hic attingamus, ſatis eſſet jam ſuperius expoſitam medendi methodum prægustaſſe. Vix aliquid ad curam præſtabat, ſi infirmus cauſam morbi ab errore in ſex rebus non naturalibus repeteret, aut ignoraret. Hoc erat unice

---

*) Hic miſſum facere nequeo, quod circa duos ex illis mihi denotare contigerit. Vix ii dedolatione aliqua afficiebantur, vel os ipſis amarum erat: quum ex rheumatica affectione illud evenire rati, ad ſambucina, atque ad alia id generis confugiebant. Subinde etiam cum illa ſymptomata fortius ſævirent, venam ſibi tundi voluerunt, quod læthale demum ipſis fuit. Ex quibus confirmantur magis magisque ea, quæ modo ſuperius dixeram.

diſcriminis, eos nempe, qui ex contagio morbum contraxerant, propriam ab initio indolem pateſeciſſe; eos autem ope ſolius mixturæ ſalinæ nunc lenioris, nunc validioris juxta circumſtantias omni cura fuiſſe abſolutos; ſi debilitas inſurrexiſſet, mox camphora ſubveniebatur; ſi protractus jam fuiſſet morbus, tunc mox ultra camphoram, veſicantia, ſerpentaria virginiana, et arnica expetebantur. Neque ab intercalaribus evacuantibus abſtinebamus; niſi diarrhæa debilitans ſubeſſet, quo in caſu optimum eſſe dignovi ſæpe ſæpius Infusi malthi potum *) cum ſpiritu vitrioli ad multum acorem. Ne-

*) Multum certe præſtitit in relatis circumſtantiis hoc infuſum; ſed eo magis efficacius ipſum deprehendi in cachexia ſcorbutica, quod illuſtriſſ. Doct. *Melly* hujus Noſocomii egregius Medicus Primarius in pluribus ejusmodi infirmis opportuniſſimum expertus eſt.

qne ſatis in epotione illa commen-danda immorari valerem. Aegros in ſummo vitæ diſcrimine poſitos ex illa facilius ad priſtinas vires aditum nanciſci, quam ex cæteris omnibus medicaminibus ſucceſſive adhibitis, ipſe mihi notavi.

Vix exacerbationes animadver-tebantur, ſtatim ad corticem (ægro-tis jam pridem depurgatis) erat de-veniendum; quod ſi non erat effec-tum, evacuantibus id una obtine-batur.

Venam iis tantummodo aperire mos erat, qui valde plethorici cen-ſerentur, et modicum ſane ſangui-nem permitti conſueverat, attenta ſemper aut pulſus, aut inflammatio-nis ratione; idque vix una, vel altera vice memini bene ceſſiſſe.

Habitudine vero cachectica, aut laxa fibra laborantibus vinum, propinari ſummopere profuit; et pro potu infuſio malthi ſpiritu vitriolico temperata inſerviebat. Obiter autem acetum, vel ribeſiorum, et limonum ſuccus ad aquam adhibebantur, ad commodiorem ſalubritatem.

Arnica ſola in infuſione aliquibus exhibita fuit, ubi inflammationis indicia omnino deerant, ubi ſtupidius jacebat infirmus: poſt primarum tamen viarum exterſionem, vix aliquid profuiſſe vidi, aut audivi. In clyſteribus quoque dabatur arnica, cum ſcordii, aut chamomillæ infuſione.

Si circa quintam, ſextam, aut decimam diem, cutis humidior paulifper conſpiceretur, tunc ſpiritus Mindereri cortici, aut mixturæ camphoratæ drachmarum trium, aut

quatuor dosi addebatur. Idem etiam aliquando tardius annuebatur; ſicque ſudoribus juvandis hoc remedium pro rato habebatúr.

Abluvia corporis totius ex aqua, et aceto circa pectus, os, et brachia præſertim inſtituta, quemdam febri jam delirum ad priſtinam incolumitatem revocarunt; illaque toties libuit feliciter renovare, quoties ex re eſſe deprehenſum eſt.

Vesicantia dato tempore inuſta multæ utilitatis fuere, concidente pulſu, ſopore ægrum obſidente, oculis obnubilantibus, viribusque ruentibus. Si quando intemperantia cantharidum ſtranguria ſieret, gummi arabici, vel ſimilium emulſione compeſcebatur.

Si qui (ut ſæpe fit) in diætam peccaverant infirmi, atque inde re-

labebantur; tunc illis validiora purgantia vix opem ferebant; deteriores enim viribus in tertiam, vel quartam ad ſummum diem ad extrema urgebantur; nec parum præſtitiſſe videbamur, ſi ad leviora remedia confugientes decoctum ſolvens *) cum drachmis nonnullis arcani, et oxymellis, alvum blande excuteremus, et, primis expurgatis pauliſper viis, ad camphoræ uſum tam internum, quam per clysmata devenire poſſemus.

Si finem ſub ipſum morbi, tertianæ, vel quartanæ typum ſervabat febris; hæc ſub uſu non intermiſſo

---

*) Rec. *Taraxic. c. tot. unc. un. et ſem.*
Radic. cichor. unc un.
coq. per quadrant. hor. in
aq. font. ſ. q. colat. lib. j. add.
Oxymell. ſimpl. unc. ſemis
exhib.

decocti corticis evanescebat. Vix reconvaleſcentes, ne eodem morbo corriperentur e noſocomio ſtatim dimittere neceſſum erat, ipſosve antequam lectulis valedicerent, ſerio commonere, ut a carnibus per dies aliquod temperarent, licet acri appetentia compellerentur; ne (quod indociliores perpeſſi ſunt) vetus contagium trahentes difficiliori infirmitate pœnam luerent. Sed manum de tabula.

TENTAMEN

DE

MORBO PELLAGRA,

VINDOBONÆ OBSERVATO.

Quæcumque in natura fundata sunt, crescunt et augentur, quæcumque autem in opinione variantur, non augentur.

VERULAMIUS de dignitate et augmentis ſcient.

Abſolutis ſcientiæ Medicæ in Univerſitate Ticinenſi ſtudiis, anno 1787 Mediolanum petii, ut in magno hujus Urbis Noſocomio praxim Medicam exercerem. Varii generis ibidem, variæque indolis morbos mihi obſervare licuit; quos inter *Pellagra* præcipue eminet, cujus ſymptomata, medendique methodum a præclariſſimo Profeſſore *Videmario* adhibitam,

accuratiſſime, omnique animi attentione examinavi.

Poſtea *Viennam Auſtriae* adii anno 1788, ibique quatuor fere annos viſitandis tum in Noſodochio civico, tum in Noſodochio militum ægris impendi, et morbos in hoc climate obvios cum iis, quos in patrio ſolo obſervaveram, ſolertius comparavi, variamque a variis Medicis adamatam medendi methodum perſpicere conatus ſum.

Eodem labente anno in Noſocomio civico, præſtantiſſimo Medico *de Vigiliis* nondum e vivis erepto, in duobus ægris Pellagræ ſymptomata deprehendiſſe mihi videbar, quorum hiſtorias ſimpliciſſima narratione deſcribam.

OBSERVATIO I.

Vigesima quarta Octobris vir 46 annorum ex Carynthia*) oriundus, in Noſocomium magnum adportabatur, delirus, voce rauca, vola manuum rhagadibus eſt obſeſſa. Calor febris haud intenſus, non urens. Ardor pedum, cutisque in illorum dorso nigricans, hinc inde ſciſſa. Fœtor ingens, debilitas ſumma; ructus ovum putridum redolentes; alvi fluxus, ventris mollities.

*) In Styria Carynthia et Tyrolo in locis humidissimis, ſtrumoſi et cretini ad aures et pedes nonnullam memorat desquammationis cutaneæ pellagrosæ naturæ ſpeciem *Gautieri* in opere „*Tylensium, CarynthiorumStyriorumque ſtruma a* Joſepho Gautieri *M. D, obſervata, descripta Vindobonæ* 1794. 8vo.

Decoctum corticis Peruviani cum aliquot guttis ſpiritus nitri dulcis de *Vigiliis* præſcripſerat, ut ſcilicet ſymptomata ab humorum putredine orta compeſceret; at fruſtra. Æger altera die verſus noctem phreniticus, ſequenti mane obiit. Cadaver ſectum non eſt.

OBSERVATIO II.

Eodem anno ſecunda Novembris, fæmina 28. annorum circiter, ex pago S. Viti (St. Veit) robuſto temperamento prædita, in ſuprad. Noſocomium ſuscipitur. Decubuit ibidem in cubiculo N^ro^ 32, in quo D. M. Dr. *Filling*, modo Phyſicus in Polonia, Medici ſecundarii munere fungebatur.

Manus pedesque hujus ægræ phlyctenis obſeſſæ, epidermide pluribus in locis decidua. Amicus meus D. *Kurzweil* (linguam enim germanicam fere nondum callebam) ſequentia symptomata mihi narravit.

Amblyobia; ſapor quasi a ciborum ſalſorum ingluvie, capitis et ſcapularum dolores, viſus per vices hebetatio, vertigo vix non aſſidua; nox inſomnis, appetitus dejectio, alvus aquosa, cœterum ſana.

Ob linguam glutine obductam lenia eccoproctica exhibebantur, mixtura ſcilicet ſalina Pharmac. Vindob. qua alvus ſæpius movebatur.

At altera die continuato hoc remedio diarrhæa accedit, ſequenti etiam die haud ceſſans, et ægra fractis jamjam viribus delirat. Mox itaque cum prædictus Medicus mor-

bum hunc pro febre bilioſo-rheumatica in putridam tendente haberet, (eruptio ad manus et pedes, dolores, vertigo, viſus hebetatio, pro rheumaticis habebantur), infuſum radicis Valerianæ exhibuit ita, ut ægra ſexies de die hujus infusi ex uncia Rad. Valer. ex libris ij aquæ parati ſumeret, ſimulque balnea tepida viginti quatuor vicibus repeti jussit. De die lene infuſum florum Sambuci ex unc. ij. parati cum Roob ejusdem unc. j. præscripserat.

Hisce remediis alvus binis ternisve vicibus intra nycthemerum ſollicitabatur. Menſe Decembri ad finem vergente epidermis desquammabatur, atque ægra 4ta Januarii 1789 fere ex integro ſanata Noſocomio valedixit. Promiſerat mihi equidem, si forte in urbem venerit, me velle adire; ſed huc usque promiſſis non ſtetit.

OBSERVATIO III.

Ab eo tempore nulla se mihi occaſio obtulit hunc morbum obſervandi, etsi ſedulas ubique disquisitiones inſtituerim; elapſo tandem anno 1792 hunc morbum iterum obſervare mihi contingit.

Die 24 Junii Suburbium *Wieden* ægros visitandi cauſſa pedibus adeuns, in pauperem hominem mendicum incidi, in pago *Hütteldorf* degentem, 38. annorum, macilentum et extenuatum. De magna capitis debilitate, doloribus vagis, lancinantibus terebrantibusque conquerebatur. In dextera manu, quæ tumorem erysipelatodem referebat, phlyctenæ plurimæ. Collum, jugulum, pectus, brachia,

tibias fœdo furfure conſperſa vidi, cutemque in his omnibus locis ſciſſam exiguam, at fœtentiſſimæ materiæ copiam plorantem. Ad hæc amblyopia, bis terve per diem redeuns, ſubsequa mox idearum confusione, tempeſtate præſertim calida. Febris vix ulla. Adventante hyeme omnia hæc ſymptomata ſensim disparuere, et naturalis cuti nitor et albedo rediit.

Sub finem autumni, mensibus nempe Octobris et Novembris æger baccas sambuci magna copia victitabat, iisque fere ſolis vitam trahebat, ſub quarum uſu prædicta ſymptomata disparuerunt. Sambucina autem remedia autumno viribus medicatis excellere, propria experientia edidicit; eadem enim redeunte una cum vere morbo exhibita, nil levaminis attulerunt.

Johannes *Koher* (hoc enim illi nomen erat) elapſo anno 1792 quinque vicibus me adiit. Conſului, ut ſero lactis depurato, cum radicibus cichorii et lapathi acuti uteretur, ſimulque, ut ſæpius me accederet. Numquam tamen eum poſtea vidi.

Die 27. Januarii anni 1793 curioſitatis gratia pagum *Hütteldorf* (unica ab urbe hora diſtat) adii, ſciſcitaturus, quid cum ægro factum ſit, nec minimum tamen reſcire potui.

Die 23. Martii; cum iterum in eumdem Pagum accederem, detecta tandem ægroti vidua ſequentia mihi narravit.

Maritum ultima Novembris anni 1792 gravi colica inflammatoria correptum, ſeptem horarum ſpatio periisse; Ob vertiginem fere affi-

duam, quæ ægrum menſe Septembri tenuit me accedere amplius non potuiſſe; vehementes simul dorsi et ſcapularum dolores acceſſiſſe, vix per aliquot minuta de nocte mitigátos. Cæterum eadem plane, quæ quondam maritus mihi narraverat ſymptomata, repetiit; immo addidit: ægrum de aſſidua ſalivae ſalsedine conqueſtum fuiſſe, tantaque ſiti excruciatum, ut tribus quatuorve aquæ menſuris hauſtis, eam extinguere non potuerit; inſuperque crampo pedum fuiſſe vexatum. Matrem et tres infantes attente examinavi; nec ullum Pellagræ veſtigium deprehendere mihi licuit; quod ſane opinioni *Frapollianae* favet „*neminem arbitror ſomniaturum, Pellagram eſſe morbum contagioſum.*"

An ex iis, quas modo enarravi, hiſtoriis, pathognomonica *Pellagræ* ſymptomata poſſint erui, iis judicandum relinquo, qui præclariſſimorum

virorum *Strambi*, *Videmari*, *Gherardini*, *Fanzago*, *Titii*, aliorumque opera perlegerunt, aut morbum ipſum propria experientia cognitum habent.

Si enim ſymptomata, quæ in tribus hisce morborum hiſtoriis a me notata ſunt, consideremus, in *prima* nempe: vocem raucam, volam manus rhagadibus obſeſſam, ſummam debilitatem, delirium &c.; in *ſecunda* manus et pedes phlyctenis obſitos, epidermidis desquammationem, diplopiam, ſaporem ſalſum, dolores vagos, visus hebetudinem, delirium, viriumque proſtrationem; in *tertia* peculiarem illam furfuraceam cutis in manu defœdationem: idearum confuſionem &c. nullum mihi ſane dubium ſupereſt, omnes hosce ægros Pellagra laboraſſe.

Præcipua nunc hujus morbi ſymptomata ex optimis auctoribus collecta breviter recenſebo.

Manuum pedumque cutis maculis variis, modo rubris, eryſipelati non abſimilibus, modo luridis; coloris defœdatio, non raro rhagadibus ſciſſa, epidermide in manibus in furfures exfoliata, aut lichenibus quaſi affecta.

Jugulum, collum, brachia, pectus, tibiæ, univerſim omnes corporis partes veſtibus nudatæ, ſolique expoſitæ, impetigine et vitiligine, — præcipuis hujus morbi ſymptomatibus — tenentur. Epidermis naſi, manuum, colli in ſquammas abeunt; desquammatione æſtivo præſertim tempore redeunte, hyeme autem iterum evanida.

Sapor oris ſalus; ſputa ſalsa.

Amblyopia, diplopia, viſus hebetatio, vertigo, asthenia, agrypnia.

Dolor vagus, pungens, gravans, lancinans, terebrans, rodens cum ſensu ardoris, quasi flammæ in cerebro accensæ, aurium tinnitus bomboſus, capitis ſuſurrus vertiginoſus, cephalaea, pulſatio in cerebro, ſtupiditas.

Oris ardor, linguæque excoriatio, gutturis erosio, os aphtoſum; vox rauca, aphonia, bulimia, dysphagia, anacatharsis, reſpirandi difficultas, pectoris ariditas; odor peculiaris (juxta celeberr. *Strambium*) folliculos bombycum maceratorum redolens. Febris anomala.

Dolor per totam dorsi ſpinam ad collum, ſcapulas diffuſus, artuumque rigor, moleſtus in plantis pedum ardor. Delirium, risus ſar-

donicus, garrulitas, triſmus, carphologia; tendinum ſubſultus. Affectiones nervorum, ſcelotyrbe, extorſiones, paraplegia, ſpasmi, tetani, crampus, umbilicus retro tractus. Subinde tales ægri maniaci evadunt, magno animi (obſervante doctiſſimo *Moscati*) ſese in aquis ſuffocandi impetu. Maculæ nigræ totum corpus defœdantes; ptyalismus, diarrhæa, ſudor nocturnus, urina inſciis ægris miſſa &c.

Perfecta aphonia, aſſiduus eroſionis in trachea ſensus, deglutitio difficilis, tuſſis molesta, frequens, hemophthysis, gravior cephalæa, febricula vaga, macies, propinquam mortem prænunciant.

Expoſitis hucusque, absque definita lege, quæ Pellagram ſolent comitari, ſymptomatibus, quasdam adhuc animadverſiones adjungere,

quas mihi lectio celebrium de hoc morbo auctorum ſuggerit, non ſuperfluum eſſe exiſtimo.

Ac primo quidem Amicus meus Dr. *Fanzago*, qui hunc morbum in territorio Veneto observavit, Pellagram tribus hisce ſignis dignosci poſſe arbitratur 1mo cutis desquammatione in illis corporis humani locis, qui ſoli exponuntur: 2do asthenia, majori tamen crurum debilitate; 3tio animi hebetatione, ex vertigine ſtupiditate, oblivione, delirio &c. manifeſta.

Hæc itaque ſymptomata, si alia inſuper accedant, affectiones ſcilicet cutaneæ, asthenia, capitis ſpinæque dorsi dolores, ſpasmi, vertigo, aurium tinnitus, diplopia, delirium &c. facilior certe, probabiliorque erit hujus morbi diagnosis.

Illam Pellagræ diviſionem, quam *Frapolli* ſtatuit, in *initiatam*, *confirmatam*, *deſperatam*, lubens hic silentio prætereo; neque cauſſas cum remotas, tum proximas enumerare, et in claſſes redigere mihi animus eſt: cum de his omnibus ii auctores, qui peculiariter de hoc morbo ſcripſerunt fusius egerint. Ad hæc magnus inter illos de hac re diſſenſus obtinet.

Strambius enim Pellagram ex atra bile, abdominis viscera obsidente, repetit — *Jansenius* læſum cerebrum accuſat. *Frapolli* ardentes ſolis radios inculpat — *Videmarius* ardorem imi ventris ad crura propagatum, bilis ſanguinisque ſtagnationem, cauſſam eſſe ſtatuit, adeoque morbum totius ſyſtematis nervosi affectionem, ſeu malum hyppocondriacum eſſe vult.

Si mihi aliam his conjecturis opinionem addere liceat, mallem peculiarem ſuccorum in ſystemate lymphatico degenerationem tamquam præcipuam Pellagræ cauſſam agnoſcere, etsi non negaverim plures simul ad producendum hunc morbum cauſſas concurrere poſſe.

Pellagram autem uti *Titius* aſſerit, *erysipelas eſſe periodicum nervoſum chronicum*, hac tam premitur difficultate, quod ſymptomata non raro nullam omnino periodum obſervant.

Conſtans cæteroquin eſt obſervatio, morbum hunc frequentius ruſticos quam cives corripere; ut igitur pellagram in plebe ruſticana gravioribus cauſſis ali, palam sit. An pravum ciborum potulentorumque

genus, an populi miſeria,*) an ſolidorum infractum robur, an actio radiorum ſolis, an peculiare ex acre patrio hauſtum venenum cauſſa horum sit? — id certe ignoramus, et noſtram in explicando morbo ignorantiam fateri melius eſt, quam erronea et ficta morbi explicatione in novos, practicosque errores præcipitari.

Pellagram novum Inſubriæ morbum eſſe non crediderim, etsi id certum sit, morbum hunc hisce temporibus latius graſſari, pluresque homines corripere, ita ut metus ſubsit, populationis inde aliquando poſſe jacturam fieri. Symptomata itaque in tribus ſupra recensitis hiſtoriis ex-

*) FRANK in egregio ſuo opere Delect. opuscul. med. T. IX. Ticin. 1790. *De populerum miſeria morborum genitrice.*

poſita, aliquam forte in determinando hoc morbo utilitatem præſtabunt, et optandum ſane eſt, ut verior hujus morbi indoles aliquando melius nobis innotescat.

Videmarius Mediolani afferebat, ſymptomata Pellagræ, ſeu, ut ipſe exiſtimat, mali hyppocondriaci, a filio ſuo Vindobonæ in Nosocomio Univerſali, ubi maxima cum laude ſanandis ægris, tamquam Medicus Primarius præfuit (at eheu in florentiſſima ætate e vivis ereptus) fuiſſe obſervata, ut itaque mihi etiam hunc morbum ſe obtuliſſe, mirum non ſit.

Neque de cura Pellagræ ex inſtituto agam; Antidotum enim nondum habemus. Eccoprotica, reſolventia, ſanguinem purificantia, balnea &c. ſubinde morbum fugarunt, qui tamen poſt aliquod temporis ſpatium redire iterum ſolet.

Aliqui Pellagram pro ſpecie ſcorbuti habent. Illis autem *Janſenius* ſequentia opponit „patet ſcorbutum in pellagrosis non aliter quam morbum acceſſorium judicandum eſſe, hancque ſententiam ejus cura confirmat, nimirum pellagroſorum ſcorbutus æque ac in aliis hominibus, remediis antiſcorbuticis ac juſto regimine facile, nisi nimium progreſſus fuerit, ſanatur, Pellagra ne minimum mutata" Ut itaque Pellagram *morbum eſſe sui generis* nullum omnino dubium sit.

An Epidemicus, Endemicusque morbus Pellagra? *Frapolli* eum pro ſporadico habet, Pellagra enim nec universim graſſatur, nec alicui regioni peculiaris eſt, agricolasque ut plurimum in Inſubria hic et illic indiscriminatim aggreditur. Uti trichoma Polonos vexat (*ait Janſenius*), ſtruma deturpat Alpicolas, elephantia-

sis et lepra Africanos, ſarcocele in regnis Salam et Barrah frequens eſt, Helveti præ cæteris herniis laborant — hinc et Inſubriæ incolæ Pellagra inficiuntur. At nihilominus hi morbi etiam alibi terrarum poterunt ſubinde comparere.

Sufficit mihi in præſentiarum ea, quæ ipſe obſervavi, fideliter retulisse. Forſan erunt in his terris, qui eundem morbum, etsi non ſub hoc nomine ſibi notum, ſanandum habuere; forſan alii, meis obſervationibus attentiores facti, pellagram in poſterum obſervabunt, atque hos humaniſſime rogatos vellem, ut me, ſi occaſio occurrat, de talibus ægris certiorem reddant; ut conjuncta propria, quam ex autopsia mihi comparavi hunc morbum dignoscendi facilitate, simul in indolem Pellagræ, medendique methodum amice inquiramus, quam certe medico-

rum benevolentiam omni qua poſſum animi gratitudine accipiam. Interim ut habeant, quos in ejusmodi caſibus conſulant, auctores, ſcriptorum Catalogum huic tentamini adjicere conſtitui.

Inter Auctores, qui de Pellagra usque adhuc ſcripſerunt, ſequentes præcipue recenſendi veniunt.

FRAPOLLI, (*Franc.*) *Animadversiones in morbum vulgo Pellagram. Mediolani* 1771 8.

ZANETTI, (*Franc.*) *de Morbo vulgo Pellagra Dissertatio.* *)

GHERARDINI (*Mich.*) *Della Pellagra Milano* 780 4. **)

*) *Hæc invenitur in Act. Natur. curios. Tom. VI. Norimb.* 1778 4to. *obs.* XXIV. *pag.* 118 *et seq.*

**) *Idem Germanica versione „Geſchichte des Pellagra aus dem Ital. Lemgo* 1792 8.

ALBERA (*Gio. M.*) *Trattato teorico-pratico delle malattie dell' Inſolato di primavera volgarmente dette della Pellagra. Vareſe* 784. 8.

STRAMBI (*Cajet.*) *De Pellagra obſervationes, quas in regio Pellagroſorum Noſocomio collegit Dr. Caj. Str. regius ejusdem Director Anno I. II. III.* 784—87. *Mediolani* 786—89. 3 *Vol.* 4.

JANSEN, (*W. X.*) *De Pellagra morbo in Mediolanenſi Ducatu endemico. Lugd. Batav.* 787. 8. *)

VIDEMAR. *De quadam impetiginis ſpecie, morbo apud nos in ruſticis nunc ſrequentiori vulgo Pellagra nuncupata. Mediolani* 790. 8.

---

*) *Hæc Diſſert. habetur etiam in suprad. Delec. opusc. medicor antehac. in German. divers. Accad. editor. præſtantiss. Prof. et Praecep_ toris mei Johan. Petr.* FRANK *Vol. IX. Ticini* 1790.

FANZAGO (*Franc.*) *Memorie ſopra la Pellagra del territorio Padovano. Padova* 789. 4.

— — — *Paralelli fra la Pellagra ed alcune malattie che più la rassomigliano. Padova* 790. 8.

DALLA BONA (*Paolo*) *Discorso comparativo ſopra la Pellagra, l'Elefantiasi de' Greci o Lepra degli Arabi, e lo ſcorbuto; ed alcune riflessioni intorno la cura. Venezia* 791. 8.

SOLER (*Luigi*) *Osservazioni medico-pratiche che formano la ſtoria esatta di una particolar malattia chiamata Pellagra, in cui si espongono i veri caratteri, le differenze, le cauſe, ed il metodo giudicato il più utile per curarla. Venezia* 791. 8.

TITIO (*Conſtant.*) *Pellagræ morbi inter Inſubriæ Auſtriacæ agricolas grassantis Pathologia. Commentatio. Lips.* 792 4.

Legi quoque poſſunt Auctores, qui hujus morbi, quantum ipsis ex aliorum scriptis innotuerat, mentionem fecerunt, aut alios morbos pro Pellagra habuerunt, ex. gr.

KAPP (*Chr. Erh.*) *in ſuis animadverſionibus ad Cullen. Anfangsgründe der praktiſchen Arzneykunſt.* 2. *Auflag. B. IV. Leipzig* 789. *pag.* 505 *et ſeq.*

JUNKERI (*Chr. Guill*) *Conſpectus rerum, quæ in patholog. medicinali pertractantur. Vol. II. Halæ* 790. 8. *pag.* 180 *ſeq.*

HENSLER *in loc. cit. pag* 385.

ODOARDI (*Giac.*) *D'una ſpecie particolare di scorbuto Dissertazione recitata li* 18 *Luglio* 776 *).

---

*) *Hæc typis impressa fuit „nella Nuova Raccolta d'opuscoli scientifici e filologici.* T. 30

SARTAGO. *Aneddoti Patrii Nro. 22 Venezia 792.* *)

THIERRY (*apud Vandermonde*) *Recueil periodique d'Obſervations de medicine, de Chirurgie et de Pharmacie. Paris T.* 2. 1755 *pag.* 337. **)

GIORNALE ***) *per ſervire alla ſtoria ragionata della Medicina di questo*

Venezia 1776 in 12mo Nro. 7 „et etiam" negli Opuscoli ſcelti ſulle ſcienze e sulle Arti di Milano Vol. V. 4to.

Auctor iſte loquitur de morbo in provinciis Feltriensi, Belluensi, Foroiulii endemio, atque Pellagræ, juxta TITIO, simillimo.

*) *Sub nomine ſcorbuti montani deſcripsit Pelgram.*

**) *Et in versione* Germanica *„Sammlung auserleſener Wahrnehmungen aus der Arzneywiſſenſch. Wundarzney, und Apotekerkunſt aus dem Franzöſ. B.* 2. *Frankf. u. Leipzig* 1758. 8. *pag.* 334.

***) *Opus periodicum ſummi prætii pro Medicinæ cultoribus. In hoc recensiones Operum*

ſecolo T. IV. anno 1787. *pag.* 334—350. 4.

GIORNALE *T. VII. pag.* 412—418 *et in eodem Volumine — pag.* 412—466 *anni* 1791. 4.

VAN DEN HEUVELL. *Tentamen noſologicum ſiſtens morborum, a vitio vis vitalis diviſionem etc. Lugd. Batav.* 1787. 8. *pag.* 415 *et ſeq.*

Strambii, Ianſenii, Videmarii inveniuntur.

ERRATA

Pag. 10	ultima linea	— aliquanto	*leg.*	aliquando.
30	lin nota **)	— pnlveribus	—	pulveribus.
43	lin. 3tia	— nyktemeri	—	nycthemeri.
45	lin. 16	— emoliens	—	emolliens.
52	lin. 4	— animaver-tere	—	animadver-tere.
54	lin. 6	— ircoeperat	—	incoeperat.
ibi.	lin ultima	— nykhtemeri	—	nycthemeri,
58	lin. 14	— Pulv	—	pulp.
65	lin. 14	— Nucham	—	nucam.
67	lin. 13	— vitæ	—	vita.
74	lin. 13	— pinqued.	—	pinguedin.
76	lin. prima	— linquæ	—	linguæ.
62	lin. 10	— babent	—	habent.
86	lin. 4	— animatver-tere	—	animadver-tere.
99	lin. 3	— linquæ	—	linguæ.
106	lin. primo	— Neqnc	—	neque.